UT Medicus pariter, ac Medici opem implorans (ſive actu æger is ſit, ſive Morbum imminentem à ſeſe avertere intendat) finem ſuum, qui *Sanitas* eſt, certiùs conſequatur, eò intentum ſuum dirigat oportet, ut acquirat ſibi *Medicamenta* ſincerè dextrèque parata, non viribus mutila, ac nequidquam præter ſpecioſos, ſuperboſque titulos præ ſe ferentia: verùm ea, quæ ingredientium ſuorum virtutibus nobilitata ſub parva mole (quantum fieri poteſt) maximam energiam complectantur. Utrum autem hæc in omnibus veterum pluriumque modernorum Compoſitionibus & Præſcriptis obſervata fuerint, præſertim in hoc *Diſpenſatorio Bruxellenſi*, cujus *Compoſitiones ac Præſcripta* eventillanda ſuſcepi, æquus Lector perfacilè ex ſequentibus colliget, in quibus eum quàm enixiſſimè & humaniſſimè rogo, ut depoſito omni partiali animo, non quis dicat, ſed quid verè dicatur, ſedulò animadvertat;

vertat; hanc enim mihi in omnibus firmiſſimè regulam præfixi eòque collimavi, ut Veritati, Deo, Proximoque pio affectu parentans (quam fieri poteſt pauciſſimis) viam modumque demonſtrem, queis in omnibus hujus opuſculi *præſcriptis Pharmaceuticis Ingredientium ſingulorum* vires ſartæ tectæ, ſub exigua mole conſerventur in Medentis, Componentis, & Proximi opem implorantis (quibus libens hoſce meos labores conſecro) emolumentum & ſalutem.

Agmen igitur ducant *Aquæ ſimplices*, in quibus ac in omnibus reliquis (ne confuſio oriatur) eum ordinem ubique ſervo, quem *Pharmacopæa Bruxellenſis* tenet, primò paginam, in qua deſcribitur ea, in quam animadvertitur *Compoſitio* notans, ac dein *Animadverſionem* meam ſubnectens.

ANIMADVERSIONES
In Aquas Simplices deſcriptas Paginâ 14.

MOdus quidem ille deſtillandi *Aquas ſimplices* ex *Vegetabilibus* affuſione *Aquæ communis* ſatis hodie (utinam non nimis) cognitus eſt Belgii noſtri Pharmacopæis, utpote quorum plurimi ſat liberales exiſtunt in *Aqua communi* affundenda: verùm, an ea methodo extractæ *Aquæ*, *Simplicium*, è quibus eliciuntur, (vel ſaltem quorum nomina præ ſe ferunt) *Virtutes* abundè æmulentur, ac maxima earum copia non potiùs *Aquam Fontanam*, quam peculiarem aliquam virtutem ſapiat, utrumve præſcriptus modus non nimis generalis ſit, nunc proximè, inquirendum.

In hunc igitur ſcopum primò conſiderandum, ac diligenter annotandum, ingentem dari inter *Vegetabilia* diſcrepantiam, propter quam alia ma-

gis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0052-1 DFG

gis, alia minùs, alia nullo modo *Deſtillationi* apta exiſtunt: nonnulla enim, quorum virtus tota ac energia in *Particularum Tenuitate* & *Volatilitate* conſiſtit, levi ignis ſtimulo commota vires ſuas in ſublime dimittunt, relictis fæcibus pauco *Sale fixo* dotatis: ex horum autem genere ſunt *Aniſum, Fœniculum, Garyophylli*, aliaque plura *Aromata, Flores Balſamici, &c.*

Alia *Terreſtris Indolis*, ut ut cautè deſtilles, præter *Humiditatem aliquam Elementarem aquæ communi* non multùm abſimilem nil à ſeſe præbent; ſed totam ſuam virtutem retinent in *Concreto* defixam, qualia ſunt quæ *Qualitate ſtiptica* manifeſtè eminent, item *Purgantia* omnia (licet de *Helleboro nigro* quæſtio ſit) *Fructus* & *Radices eſculentæ* & *culinariæ plurimæ*, &c.

Nec pauca ſe medio habent modo; neque enim ut priora, vires ſuas per *Alembicum* tranſmittunt, nec ut poſteriora, totas in *Concreto* detinent; ſed plurimæ quidem earum *particulæ volatiles* (ut ex odore colligere eſt) *Alembicum* ſcandunt, non paucæ interim *Virtutis roborantis* non contemnendæ in fundo remanent: ut *Abſintium, Arthemiſia, Tanacetum, Citri* & *Aurantiorum Cortices*, aliaque de *Amarorum* grege: unde patet, ea, quæ primi ordinis exiſtunt *Vegetabilia, Deſtillationem* per *Alembicum* affuſo *Menſtruo*, in quod virtutes ſuas deponant, promptè admittere *decoctionibus* omninò inhabiles: alterius, *Deſtillationem* penitùs reſpuere *Decoctionibus* apta: poſterioris, nec ſola *decoctione*, nec *Deſtillatione* integrè vires ſuas *Menſtruo* communicare *Extractionibus liquidis* tantùm ſeu *Infuſionibus* ex natura ſua deſtinata.

Ex hiſce abundè (ut exiſtimo) colligere eſt, quam præpoſterè uni, eidemque generi *Deſtillatio-*

nis tam inter ſeſe *diverſa*, imò ex natura ſua *repugnantia* inter ſe *Vegetabilia* indiſcriminatim ſubjiciantur.

Nunc meum eſſet ex ſuperiùs recenſitis ea ſeligere, quæ *Deſtillationi* apta per ſe exiſtunt, reliquis ad *Decoctiones* vel *Extractiones* ablegatis: verùm, cum ea ſatis pauca ſint, nec inſtituti mei ratio poſtulet quidquam circa uſualia immutare; ſed tantùm dextrum eorumdem præparandi modum indigitare, liberum Dominis Medicis relinquens arbitrium, ea, quæ *Deſtillationibus* minùs apta exiſtunt *Decoctionibus* & *Infuſionibus* deſtinandi, methodum modò inquiram, quâ ex prædictis, iiſque analogis *Vegetabilibus Aquæ ſimplices* ad *ſimplicium*, è quibus deſtillantur naturam (quantùm poſſibilè eſt) accedentes, elici queant; quamquam neutiquam probare poſſim *Aquarum è Plantis frigidis, fixioribus* & *terreſtrioribus Deſtillationem*.

Varii quidem in hunc effectum excogitati ſunt à Chimicis modi, è quibus omnibus (ne prolixior ſim) unicum penitiùs paulò examinandum ac enodandum aſſumo, quod is, quem poſteà aſſignaturus ſum, non paucum ab hoc lumen mutuetur, ac præterea velut præſtantiſſimus à viris non infimæ notæ hodie habeatur, quamvis ſuis non careat obſtaculis.

Modus autem is eſt, quo è *Succis Vegetabilium expreſſis Aquas Deſtillandas* præſcribunt, qui certè, quamvis prima fronte ſat ſpecioſus appareat, utpote ſine ullius peregrini liquoris additione ex ipſa (ut videtur) rei ſubſtantia *Aquas* educens, brevi tamen ſequentibus objectis diſpalleſcit.

Ac imprimis non paucæ *Plantæ ſiccioris Naturæ*, utut exactiſſimè etiam contundantur & fortiſſimè mediante torculari exprimantur, nullum,

 128

lum, vel paucum *Succum* præbent, eumque *Qualitatibus totius plantæ*, quibus antea enitebat, plurimùm truncatum, ut clarè & ad oculum patet in *Balſamicis* & *Odoriferis*, quarum *reſidua* poſt preſſuram propriâ *Virtute* & *Fragrantiâ* imbuta remanent: deinde ex *Floribus* penè omnibus nullus omnino vel paucus admodum iſque *viſcidus & mucillaginoſus Succus* exprimi poteſt, reliquis à preſſione *Floribus* viribus integris adhuc perſiſtentibus, niſi quod quidam ex iis, ut & alia nonnulla, etiam nativam ſuam *Fragrantiam* & *Suaveolentiam* per præviam contuſionem planè amittant, adeò, ut tum *Succus expreſſus*, tùm *Flores* (par eſt de aliis nonnullis ratio) à *primevâ ſuâ Fragrantia* degeneres alienum potiùs, quam proprium ſpirent odorem: undè nec enarratæ *ſicciores Naturâ Plantæ*, nec prætati *Flores*, *aliæque his aaalogæ Plantarum partes* talem *deſtillationis* modum admittunt.

Quod ad *humidiores Plantas* attinet, eæ duplicis ſeriei conſiderari debent; vel enim *Odore Aromatico penetrantique* prædictæ ſunt, vel *Inodoræ* exiſtunt: priores, ſi exprimas, earum *Succus* (ut ante de *ſiccioribus* dictum) cum *reliquiis* poſt preſſionem *Fragrantiam* ſuam adeoque & *Vires* partitur, itaq; *integras Plantarum Vires* ex earum *Succis Deſtillatis* fruſtrà præſtolaris: poſteriores verò, ſive per ſe integras, ſive earum *Succum Deſtillationi* commiſeris, potiſſimas ſuas *Virtutes* (utpotè *Terreſtrioris Naturæ*) in fundo relinquunt, *Aquam inſipidam* vulgari non multùm abſimilem præbentes. Unde patet quam firmo ſtet talo *Aquarum è Succis Deſtillatio*.

Modò reſtat (cum nec *Aquarum ſimplicium* more in *Pharmacopæa Bruxellenſi* præſcripto *De-*

ſtillatio

ſtillatio placeat propter copiam *Aquæ communis* affuſæ, maximè, ſi *frigidiores Naturâ plantæ* fuerint, & ea, quæ fit è *Succis expreſſis* manca ſit) modum viamque demonſtrare, quibus commodiſſimè *Aquæ ſimplices* ex *Vegetabilibus* potiſſimis earum viribus turgidæ elici queant.

Præ reliquis autem mihi maximè arridet ille modus, quo *Plantæ recentes* per ſe ſine ullius *aquæ* additione (ſi *humidiores* fuerint) pauco verò *Liquore*, eoque *homogeneo* & *appropriato* aſperſæ (ſi *ſicciores*) inciſæ ac vaſi deſtillatorio commiſſæ totam ſuam humiditatem nativam totius viribus abundè ditatam ad *ſiccitatem* uſque exſudare coguntur, quippè quo, non ſolùm *partes* rerum *ſubtiliores* & *balſamicæ*, verùm etiam paulò *fixiores* (quibus non parva ſæpè in operando efficacia ineſt) eliciuntur; aſt, quia in ejuſmodi *Deſtillationibus* aliquæ non rarò difficultates occurrunt, quippè quibus, niſi peritus artifex defixis continuò oculis præſit, *res deſtillandæ* facilè comburuntur, & *Aquæ extractæ Empyreuma fœtidum* contrahunt, & ne ſedulus quiſque Pharmacopæus ejuſmodi difficultatibus deterreatur: conſultum duxi *Inſtrumentum deſtillatorium*, ſeu *Balneum* ex Clariſſimo Swelfero nonnullis mutatis huc transferre.

EXPLICATIO TABULÆ.

INſtrumentum hoc ſive *Balneum Maris*, aut *Vaporoſum*, quod mavis (quia utriuſque vices adimplere poteſt) tribus conſtat partibus principalioribus per numeros 1. 2. 3. denotatis.

Pars prima ſeu infima conſtituit *Receptaculum aquæ communis*, quæ in operatione magis, vel minùs calere debet pro rei exigentia.

Pars



Pars ſecunda exhibet *Cucurbitam planam duabus circiter ſui tertiis partibus vaſi primo immerſam, quæ Cingulo lato Cucurbitæ continuo* & per litteram B notato prioris limbum circumplexa, eidem mediante parte Cinguli ſuperiore innititur : huic res deſtillandæ committuntur.

Pars tertia *Capitellum* præcedenti exactè commiſſa rerum deſtillandarum vapores ſuſcipit, ac

in

in guttas condenſat, per *Roſtrum ſuum in Receptaculum* deponendas.

Præter has tres partes modò deſcriptas *in Cingulo lato* B eminet *Epiſtomium* A per quod defectus aquæ in primo cacabo novæ aquæ calidæ affuſione ſuppletur: clauditur autem tubus peractâ infuſione aquæ, ne continua vaporum per eundem exalatio, & operanti moleſta ſit, & vaporum in Capitellum aſcendentium condenſationem aliquatenùs impediat.

Commodiſſimè hoc *Balneum* fit ex *Ære*, media tamen & præcipuè ſumma pars exactè *Stanno* obduci poſtulant, ne rerum deſtillatarum vapores *ex Ære vim corroſivam ac venenatam*, præſertim, ſi *Salium volatilium* participes exſtiterint, contrahant.

Capitellum etiam poteſt eſſe *Vitreum*, in quo pulcherrimè operationis finem, maximè, dum ad ſiccitatem res deſtillandæ ſunt, contemplari licet.

Dixi *Balneum* hoc & *Vaporoſi & Maris* vices adimplere poſſe, nimirum quatenùs modò a ferventis aquæ vapore, modò verò ab ipſa aqua fervente *vaſis medii* fundus alluitur.

Deſcripto hoc *Balneo* præfatas difficultates non modò evitare, ſed non paucas inſuper prærogativas obtinere licebit; eo enim paucorum carbonum diſpendio, igne ſeſe vel à puero regi patiente ſine ullius *Empyreumatis* metu, ex omnibus *Vegetabilium* ſpeciebus, ut *Herbis*, *Floribus*, *Fructibus*, *Seminibus*, &c. *recentibus*, dummodò ea *Deſtillationi* apta exiſtant) *Aquæ*, tum *ſimplices*, tum *compoſitæ* efficaciſſimæ, eorum, è quibus extrahuntur virtutibus uberrimè prægnantes, quarumque *Uncia una* plus energiæ & virium contineat, quam *Libræ integræ aquarum more vulgari deſtillatarum*, elici queunt.

Ne-

Neque his *Balnei* hujus uſum limitari exiſtimes; ſed ejus utilitas latiùs ſeſe extendit; ad *Olea* enim *Eſſentialia è Vegetabilibus* deſtillanda, nil hoc *Inſtrumento* aptius, nil utilius, & quò plura *Compoſitionum* genera occurrunt, eò plura ſemper ejus commoda patefient.

Cunctis igitur Pharmacopæis, quibus proximi ſanitas, & commune bonum cordi eſt, author ſum, ut hoc ſibi *Balneum* procurent, ac impoſterum *Aquas* deſtillent *Eſſentiales primogeniis Vegetabilium Qualitatibus & Virtutibus exornatas*, quæ jure merito præferri poſſint *Aquis cum Vino deſtillatis*.

Sed aſſerat fortè eorum aliquis, hoc artificio non poſſe tantam Aquarum copiam acquiri, neque tam vili pretio divendi, ut hodie aſſolet. Ad quæ reſpondeo, imprimis, cum (ut ante dictum) ac etiam veriſſimum *Uncia una hujus aquæ* plus in ſe contineat energiæ, quam *Libræ integræ aquarum vulgari modo deſtillatarum*, non expeti, vel neceſſariam eſſe tantam ejus copiam: interim nobis per clementiſſimi Dei Miſericordiam, in ea, qua vivimus Regione de omnis generis *Plantis* abundè proviſum eſſe, ut eâ, quâ opus eſt, quantitate *Aquæ ſimplices* efficaciſſimæ variis Morborum monſtris ſubigendis deſtinatæ deſtillari queant.

Quoad pretium autem, juſtas eorum quærelas eſſe conceſſerim, ſi eadem utrobique *Quantitas* exposcatur; aſt, ſi verum, ut veriſſimum, eſt hâc noſtrâ mothodo integras *Plantarum* vires *multò minori liquoris copia* circumſcribi, planè corruunt & infundatæ exiſtunt: quinimo conſtanter aſſevero minori eas ære ægris conſtare, non *Quantitate* rei, ſed *Qualitate* inſpectâ, cum perſæpe patiens ſine ſolatio *multa Aquarum vulgari norma deſtillatarum Pocula* ſibi comparando crumenam ſuam non parum

rum emulgeant: hæ autem noſtræ debitè exhibitæ certam miſeris ſalutem polliceantur, paucis ſatis nummis redimendam. Uter autem duorum carius emat, qui *Sanitatem* rem ſanè pretioſam ſibi ſuo ære, etſi reſpectu alterius duplo comparavit, an qui loculos ſuos inutiliter, ne dicam noxiè emunxit (quia ſæpe periculum in mora) judicet, qui hæc legit.

Sed replicet iterum quis, Morbi naturam nonnumquam expoſtulare, ut dilutiora, propinentur ęgris aptiùs per corpus univerſum efficaciam ſuam extenſura: ad quod brevitur hiſce reſpondeo: promptè (ſi cui volupe fuerit) parvam liquoris copiam majori aliqua, eaque appropriata, ut Decocto aliquo, Aqua communi, deſtillata vel etiam cruda dilui, diſperſas autem per magnum liquoris ſtagma Medicamenti vires in anguſtum contrahere, non item.

Atque hæc de *Aquis ſimplicibus* in genere dicta ſufficiant: nunc ad *Compoſitas* me converto; ſed priùs occurrunt adhuc quatuor ſimplices enodandæ, quibus Author peculiarem adſcripſit deſtillandi normam: utpote *Ceraſorum nigrorum*, *Cochliariæ*, *Mellis & Spermatis Ranarum*, circa quas facilè quidem eſt ex ſupradictis conjecturari, cuinam ſingula ex tribus primis (quia *Sperma ranarum* ad *Animalium Regnum* pertinet) *Vegetabilium* ordini adſcribi debeant, ac proinde, an *Deſtillationi* huic aſſignatæ apta, an inepta exiſtant: verùm hic particulariter aliqua annotanda ſunt: imprimis circa *Ceraſa nigra*, *è quibus* (ut opinor) *Author aquam* elicere jubet, vel, ut qualitates eorum referens ſitibundis ac febrili calore exuſtis Ægris ſolatio exiſtat (*Ceraſa nigra* enim refrigerant & ſitim levant) vel eam Capitis affectibus cum non paucis

Authoribus deſtinavit. Si priùs intendat, Maurum lavat; quia experientiâ firmâ compertum eſt; *Aciditatem* (quippè quâ ſiti ſubveniunt) *Ceraſorum*, uti & *aliorum fructuum acidorum*, numquam aſcendere alembicum. Multò meliùs igitur intento tali ſatisfacient *Ceraſa condita Rob* vel *ſyrupus* ex iis parata.

Si in poſterius, nempe *Capitis Affectus* collimet: non video, quid Aqua iſthæc inſipida præ reliquis in *Capitis Affectibus* præſtaret, nec Author ullus (quod ſcio) eam peculiariter in his Affectibus experientiâ ſuâ commendavit; ſed ſimpliciter invicem ſecuti (ut ovis ovem ſolet) eam præſcripſerunt, ſeducti fortè Veterum ſimplicitate, qui *Ceraſa* (quod Rotunditate ſua, Pellicularum ſeu Membranarum, Nuclei & Parenchymatis ſituatione *Caput* æmulentur) *Capiti* dedicanda, & his ſimiles nugas ſomniarunt. At fortè ex *Ceraſis fermentatis Spiritum* eliciendum intendit, qui tamen à *Ceraſorum recentium* naturâ toto cœlo differt, ac malè ad *Aquas ſimplices* refertur: is autem *Spiritus*, ut & reliqua *Spirituoſa* in quibuſdam Morbis Cephalicis haud parum præſtare poteſt.

Cochliaria Planta antiſcorbutica ſpiritu ſalino volatili prægnans modo aſſignato commodè deſtillari poteſt.

Sperma Ranarum autem (quod de *Animalium Regno eſt*) nec hac deſtillatione, nec alia ſimili quidquam notatu dignum præbet, ut poſtea de *Animalium* eorumque partium analiſi latiùs diſſeremus. interim præſtiterit *Sperma Ranarum* reſolutum ad uſum ſuum aſſervare hunc in modum.

℞ *Spermatis Ranarum* recens collecti quantum vis: impone ſacco lineo & ſuſpende, quæ defluit *Aqua*, *Alumine pulveriſato* condita conſervetur in loco frigido in annum integrum & ampliùs incorruptè perdurans.

ANI-

131

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0061-1 DFG

ANIMADVERSIONES

In Aquas Compoſitas, & primò in Aquam antiſcorbuticam deſcriptam pagina 14.

A*Qua* hæc *antiſcorbutica* ſuas meretur laudes, attamen ea multò efficacior foret, ſi omiſſis *Vini albi libris octo*, *Spiritus vini* ſumerentur *libræ quinque*, & *ſpecies* in balneo vaporoſo *Inſtrumentis* tamen vitreis ad ſiccitatem abſtrahantur: ita enim non tantum *partes Ingredientium volatiliores*, ſed & *nitroſæ*, (quibus ejuſmodi *Plantæ* plurimùm ſcatent) & *terreſtriores* quædam non parvæ efficaciæ aquam prolectam nobilitant.

In Aquam Catharralem deſcriptam pagina 14.

IN *aqua hac* illud miror: quare *Florum Salviæ*, *Roriſmarini*, *Lavendulæ*, *Foliorum Abſintii & Rutæ recentium* modicam exſiccationem imperet: ad quid quæſo illa ſpirituoſarum partium in rerum Balſamicarum *exſiccatione* perditio? Cur non *recentes* & *vegetæ deſtillationi* ſubjiciuntur? In additione verò *Pomi Aurantiorum*, quorſum illa *Succi* dilapidatio, cum *Aciditas* ejus non ſcandat Alembicum? Quoad *Menſtruum* autem: præſtat *à libris duodecim Vini* lento igne abſtrahere *libras octo vel novem*, eaſque *Ingredientibus* affuſas poſt aliquot dierum digeſtionem ad ſiccitatem in B. vaporoſo ab iis avocare, quia, quò *Menſtruum* ſpirituoſius exiſtit, eò *Olea Aromatum* & *rerum Aromaticarum* (qualia hic ſunt *Caryophylli Nux Moſcata*, *Macis*, *Aurantiorum Cortices*, &c.) utpote eidem magis *Analoga* facilius cum eo ineunt connubium, ſecus ac evenit in *Menſtruo aquoſo*, cui, niſi ſingulari artificio *Olea Stillatitia* miſceantur, neceſſariò innatant, quod probè non ſolùm hic, ſed & in pluribus aliis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0062-6
DFG

aliis *Aquis Compoſitis*, quæ *ſimilia Ingredientia* recipiunt annotandum.

In Aquam Cinamomi deſcriptam pagina 15.

IN *Aqua Cinamomi* peculiariter nil notandum occurrit, pæterqnam, quod ſuaderem, ut *medietas Spiritus Vini* ſumatur; ita enim *Virtutes Cinamomi* magis *roborantes* aſcendent ob rationes prædictas.

In Aquam Embrionum deſcriptam. pagina 15. *&* 16.

IN *hac Aqua* illud notandum, non omnia deſcriptionis ejus *Ingredientia* virtutes ſuas per Alembicum *hac ſimplici Deſtillatione* fundere, utpote *Crocum, Radices Pæoniæ, ſemen pæoniæ & viſcum quercinum*, ac proinde conſultum eſſe, ea demum poſt reliquorum deſtillationem *liquori prelecto* infundere, eorumque *Eſſentiam* extrahere fæcibus poſt ſufficientem digeſtionem per filtrationem ſeparatis: porrò conformiter ad ante dicta de *Menſtruis rerum Aromaticarum Oleo multo divitum*.

℞ *Vini Canarini ad medias abſtracti libras octo*,
Spiritûs Fragorum,
Aquæ Liliorum Convallium ſine additione aquæ ſimplicis deſtillatæ ana libram unam ſemis,
Aquæ Fœniculi,
Salviæ ana *ſine additione aquæ ſimplicis paratarum* libram unam.

Affunde *Speciebus omnibus* exceptis *Croco*, *Radicibus Pæoniæ*, *Semine ejuſdem* & *Viſco Quercino*, ac poſt dierum aliquot digeſtionem abſtrahe per *Balneum Vaporoſum totum liquorem* ad ſiccitatem totalem *ſpecierum*. *Abſtracto liquori* immerge cætera reſervata, donec tota eorum virtus ſit ſufficienter extracta, tandem *liquor* prædictis *eſſentificatus* & *imprægnatus* ſervetur ad uſum.

In

In Aquam Epilecticam deſcriptam Pag. 16.

EAdem hic conſideranda ſeſe offerunt, quæ in præcedenti *Aqua Embriorum*, nimirum circa *Viſci Quercini*, *Radicum Pæoniæ & Dictamni noſtratis infuſionem* & *extractionem*, niſi *Aquam Epilepticam* horum viribus pro maxima parte, ſi non penitùs, orbatam velis. Item circa *abſtractionem Vini Hiſpanici ad medias*, evocando utrobique & in priori, & poſteriori deſtillatione *totum liquorem ad integram Specierum ſiccitatem.*

In Aquam Hyſtericam deſciptam Pag. 17.

AQua vel potiùs *Eſſentia* ſeu *Tinctura hyſterica* optimè inſtituitur per *Ingredientium* extractionem *Spiritu Vini* peragendam; quia plura eorum *Deſtillatione ſimplici* nullas de ſeſe Vires per Alembicum fundunt: verùm modo præſcripto ac eâ *Spiritus Vini* copiâ debitè ac ſufficienter tota *Specierum* virtus extrahi nequit; ſed, vel *Spiritus Vini* adaugendus, vel alia methodo procedendum.

Accipe igitur *Tincturam* eo, quem Author edocuit modo paratam, ab eaque *Deſtillationis* medio ſepara *Spiritus Vini* præterpropter libras tres & ſemis, quas *relictis a priori Tincturatione ſpeciebus* affunde, digere ac *Tincturam* ut ante extrahe, eamque per filtrum tranſmiſſam cum priori *Extracto liquido* exactè commiſce ac uſui ſerva. Vel

℞ *Species à priori Infuſione relictas*, eiſque de novo affunde *Spiritus Vini optimè dephlegmati* quantum ſatis, ut extrahatur tota *Tinctura* & *Eſſentia*, quam à fæcibus per filtrum ſeparatam abſtrahe ad remanentiam *Unciarum quatuor vel quinque*, quas cum priori *Tinctura* digerendo confice *Eſſentiam Hyſtericam* omnibus *Ingredientium* viribus abundè imprægnatam.

133

In Aquam Prophylacticam deſcriptam Paginâ 17. & 18.

EX ſuperius in *Animadverſionibus noſtris in Aquas ſtillatitias ſimplices* recenſitis facilè lector quivis, vel leviter circa rerum naturas inſtructus colligere poterit, inter omnia hujus *Aquæ Prophylacticæ ingredientia* præcipuè *Nuces juglandes immaturas*, ac *Poma Citria integra* (exceptis poſteriorum *Corticibus*) perperam *Deſtillationi* committi; quia potiſſimas ſuas virtutes, etiam diuturnâ coctione exanthlatâ in reſiduo reconditas conſervant, quod in priorum *Conditura*, ac poſteriorum *Deſtillatione*, qui periculum facere non gravabitur, experietur.

Præſtiterit itaque ex *ingredientibus omnibus* (exceptis duobus nominatis) & *quatuor vel quinq; Citriorum Corticibus exterioribus recentibus* modo in *Aquæ hyſtericæ* legitima præparatione indigitato *Tincturam* fœcundam elicere cum *Aceti Vini deſtillati* libris ſex (quia eæ ſufficiunt,) ac uſu poſtulante *Eſſentiæ Prophylacticæ* vel *Citri ſuccum* vel *Syrupum* ex eo paratum addere: *Nuces Juglandes* autem *conditas* per ſe vel in *Conditum* redactas multò utilius exhibere.

In Aquam Theriacalem ſimplicem deſcriptam pag. 18.

QUamquam Author ingenioſè ſatis & cautè *Aquæ hujus Theriacalis* præparationem per *Infuſionem & Extractionem Theriacæ* edocuerit (animadvertens in editionibus aliis ineptè & quidem magno proximi detrimento *Theriacam*, *Mitridatium*, aliaque *deſtillationi* ſubjici) normaque pr ſcripta perquam facilis eſſe videatur: tamen, ſi recta ratio & magiſtra rerum Experientia conſulantur, non leves patitur difficultates, quas, niſi

in proximum & veritatem injurius, non poſſum, quin luci exponam.

Imprimis *Spiritus vini* ab *Extractione Specierum*, quæ *quartam tantum Theriacæ præſcriptæ partem* adimplent, per *Mel tripla quantitate ſpeciebus ſuperadditum & ſpiritum vini* ſtatim imprægnans impeditur: convenientiùs itaque foret *ſpecies ſolas*, utpote ratione quarum hæc *Aqua* paratur, *Extractioni* committere; ita enim plures, etſi ſatis paucæ in *Aquam hanc Theriacalem* vires redundarent: ſatis inquam paucæ; quippe cujus *uncia quævis viginti quatuor granorum earum ſpecierum* virtutibus imbuetur. Vix dico, quia nonnulla *Ingredientium* parum vel nihil virium in *Infuſione* hac impertientia, ut *Bolus Armena*, *Gummi Arabicum*, *&c. ad grana tria* & *plura unciam unam prædictarum ſpecierum* ingrediuntur.

Quod ſi ulteriùs finem conſideremus, in quem *hæc aqua* dirigitur, nempe, ut tamquam *Alexipharmacum Morbis malignis ac venenatis* ſive imminentibus, ſive jam in corpus graſſantibus & etiam *Venenis* contrarietur, pauca certè deprehendemus ingredientium in hunc ſcopum directè collimantia, quæ pauca adhuc quantillâ quantitate *Aquæ prædictæ* addantur, ex ſubjecta calculatione. quantumvis imperfecta, videre eſt.

Porrò ne in aliam quæſtionem de *Alexipharmacorum natura* & *qualitatibus* incidam (cum fortè alibi de iis agendi ſeſe offeret occaſio) neve brevitatis mihi præſcriptos limites transgrediatur, nullo habito ad *Qualitates Alexipharmacas* aliaſque reſpectu, quantum *ſingulorum Theriacam ingredientium uncia una ſpecierum recipiat*, calculum inſtitui, etſi non adeo exactum, ne in imaginarios & inconceptibiles penè granorum atomos diviſiones

&

& ſubdiviſiones inſtituendo rem potiùs obnubilarem quam elucidarem; ut ſaltem ex eo cuique patulum ſit, quanta ſibi præſidia adverſus *Morbos Herculeos Medicus* pariter ac *Æger* exhiſce minutiis etiam manifeſtè nonnumquam mutuam vim & energiam obtundentibus polliceri poſſit. Porrò ut chartæ parcerem eorum ingredientium quæ ſub una doſi præſcribuntur, unum aut alterum hic tantùm ſubjeci, ex quibus ulteriùs aliorum quantitates colligere eſt. Tota igitur *Theriacæ* deſcriptio ut in *Diſpenſatorio* exſtat ſine *Melle* & *vino* continet *uncias quinquaginta ſeptem & dragmas duas*, unde deducto calculo *uncia quævis ſpecierum* continebit præterpropter.

Trochiſcorum ſcilliticorum, ſeu potius *Farinæ Orobi albi* (quia ab exſiccatione *Trochiſcorum* nil penè de *Scilla aſſata* remanet) ſcrupulos duos ſemis & quartam partem grani unius.

Trochiſcorum de Viperis, qui maxima parte *Pane biſcocto conſtant*.

Magmatis Hedicroi, cujus ingredientia ferè omnia *Theriaca ipſa* recipit.

Opii Thebaici præparati ana ſcrupulum unum, grana quinque & octavam partem grani.

Scordii.

Opobalſami ſeu *Olei Nucis Moſcatæ expreſſi* Ana grana duodecim ſemis & decimam ſextam partem grani.

Croci Britannici.

Mirrhæ ana grana ſex & quartam partem grani,

Radicum Gentianæ grana quatuor & ſextam partem grani unius.

Caſtorei grana duo & duodecimam partem grani unius.

Atque ex his Benevole Lector inveſtigare faci-

lè poteris, quantum cujuſque *Ingredientis Aquam hanc Theriacalem* locupletet, dividendo nimirum cujuſque quantitatem modò aſſignatam in viginti quatuor partes æquales, quæ ſunt *Quantitas ingredientium quamlibet hujus Aquæ unciam* ditantium: & ſecundùm hoc ex. gr. *uncia una Aquæ* in ſe recondet vires (ſuppoſito quod omnia benè extrahantur grani unius & aliquot minutiarum *Opii* & *Trochiſcorum Viperinorum: Scordii*, *Opobalſami*, *&c.* grani ſemis & aliquot minutiarum, *Mirrhæ*, *Croci*, *&c.* ana quartæ partis grani unius, *Radicum Valerianæ*, *Meu*, *&c.* ana ſextæ partis grani unius, *Ariſtologiæ tenuis*, *Caſtorei*, *&c.* ana duodecimæ partis grani & ita ulterius de reliquis.

Quibus ritè perpenſis, mente captus ſit oportet, qui in *talibus minutiis* inter *dira Morborum monſtra* collocatus etiamnum fiduciam ſuam ponit, ad has velut *univerſalem Panaceam & ſacram Anchoram* confugiens.

At replicet quiſpiam: quod ſingula & per ſe ſola tantillâ doſi efficere non poſſunt, illud ab omnibus ſimul junctis efficaciter præſtari. Ad quod reſpondeo: verùm id quidem eſſe, ubi omnia inter ſe *conſona* debitâ quantitate in eundem conſpirant effectum; neutiquam verò, ubi tanta reperitur indiſcriminatim inter ſe congeſtorum *diverſitas*, imo *repugnantia*: quod, ſi in aliquibus totius *Pharmacopææ compoſitis*, certè in *Theriaca* non ſine inſigni inquirentis tædio & nauſea occurrit, ubi *Cathartica Stipticis*, *Emetica Cordialibus*, *Acria* & *Mordacia Narcoticis*, *Stommachalia Nauſeoſis*, *&c.* commixta in informe chaos ſine ulla ratione conflantur, ut adhuc fuſiùs & clariùs *titulo de Theriaca* oſtendere conabor: interim hæc omnia neceſſariò mutuam actionem & effectum remorari, quis non videt?

His

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0068-1

135

His ita ſtabilitis, reliquum eſt veram methodum indigitare allegatis modò difficultatibus obviam eundi. Ac imprimis circa *Mel Theriacæ, Spiritum vini* quam primum impregnans, & debitam *ſpecierum Extractionem* præpediens, convenit (ut adhuc dixi) *Species ſolas Spiritui vini* infundere, ac *Mel, Saccharum*, vel *ſyrupum de Corticibus Citri*, vel alium appropriatum demum uſu poſtulante pro edulcoratione addere: & cum (ut apertè ſatis demonſtraui) imbecillis nimis paucorum granorum virtus ferocibus *Morborum monſtris* opponatur, etſi tota ſpecierum congeries in eundem ſcopum collimaret, Author ſim, ut ex *recens diſpenſatarum ſpecierum unciis duabus* loco *unius* cum *ſpiritus vini*, vel potiùs *ſpiritus Baccarum ſambuci unciis viginti*, modo in *Aqua hyſterica* aſſignato *Tinctura* eliciatur, omiſſis tamen (ſi ita videatur; quia ſuadere tantum non jubere cupio benè intentionatis Medicis & Pharmacopæis) *Rhabarbaro*, *Agarico*, & *Calcitide* nocivis (ut poſtea videbitur) *Theriacæ* conſtitutis, nec non *Opio*, cujus additio *convenientem aquæ Theriacalis doſim* exhibere vetat, cum illud uſu ac neceſſitate poſtulantibus, quantùm lubuerit, addi poſſit, præcipuè, cum in *Morbis Malignis & Peſtilentibus* ejus exhibitio teſte Zwelfero, cujus ſæpe ſeſe arbitrum fuiſſe profitetur, Lethalis exiſtat.

Porrò, cum non ultrà *legitimam Compoſitionum præparationem* edocendam mihi procedendum decreverim, plurima hoc loco omitto, quæ circà variorum *Ingredientium mutationem* vel *extirpationem*, ſi congruam ex iis *Antidotum adverſus Morbos malignos* nobis polliceri velimus, maximè neceſſaria dicenda reſtarent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0069-9 DFG

In Aquam Vitæ Compoſitam deſcriptam, pagina 18.

SAt benè hæc *Aqua* juxtà normam præſcriptam præparatur, quia in ea nulla *Virium ingredientium* fit jactura, ſed omnia & ſingula in *Spiritum vini* Virtutes integras transfundunt.

In Aquam Vitæ Aulicam deſcriptam pag. 19.

A*Qua Vitæ Aulica* multò præſtantior foret; ſi ut præcedens, ac potiori quidem jure ſola *conſtituentium partium Infuſione & Extractione* conficeretur, quia alioquin non minima *Virtutum Stommachicarum* aliarumque pars poſt *Diſtillationem in Speciebus præcipuis*, utpote *Radicibus Ænulæ Campanæ, Galangæ & Croco*, nec non *Arthemiſia & Agrimonia*, reſidua cum fæcibus abjicitur: *Aqua* denique *Meliſſæ* ultimò addenda ſine *Aquæ ſimplicis* additione parata ſit.

In Spiritum Carminativum deſcriptum pagina 19. & 20.

S*Piritus Carminativus*, ut præſcriptus eſt, legitimè paratur, ſumendo tamen (ſi fieri poſſit) *Herbas & Cortices Aurantiorum recentes* pauló majori quantitate.

In Aquam ſeu Elixir Antifebrile deſcriptum pag. 20.

IN *Elixirio hoc Antifebrili* eadem occurrunt animadvertenda circa *Mitridatium*, quæ in *Aqua Theriacali ſimplici* circa *Theriacam*, præterquam quod in priori non tanta reperiatur diverſitas ac *Ingredientium inter ſe Repugnantia*, quanta in poſteriori:

136
ſteriori : unde in gratiam eorum, qui *Elixir* hoc præparare, vel præparati Vires ac ſingulorum Ingredientium, Quantitatem examinare vellent, quantum cujuſque *Ingredientis Specierum*, *Mitridatii dragmæ ſex*, utpote *quarta pars unciarum trium Mitridatii ad Elixir requiſitarum* (quia reliquæ tres partes non aliud ſunt quam *Mel*) recipiant, exacto (quoad fieri potuit) calculo aſſequi conatus ſum, è quibus, quænam, & quantum *Titulum Antifebrilem* inſignire queant, facilè quivis vel mediocriter in arte verſatus, judicare poterit. Hic quoque ſicut in Aqua Theriacali procedo, unum aut alterum ingrediens eorum, quæ eadem doſi præſcribuntur annotando: tota igitur *Specierum Mitridatii* miſcella adimpleat *uncias triginta octo & dragmas ſex*, obtinebunt quæque *Dragmæ ſex ad Elixir deputatæ*.

Croci Britannici,

Mirrhæ electæ, ana grana undecim & tres octavas partes grani unius,

Opobalſami, ſeu *Olei Nucis Moſcatæ expreſſi*,

Caſtorei ana grana novem & quartam circiter partem grani,

Scordii veri,

Trochiſcorum Cypheos (quorum pars tertia *pulpa Paſſularum*, *Terebintina* vel *Mel* eſt) ana grana octo ſemis,

Radicum Gentianæ,

Dictamni Cretici Ana grana quinque ſemis & octavam partem grani,

Radicum Valerianæ majoris grana tria ſemis,

Meu Athamantici grana duo ſemis & quartam partem grani.

Et hæc quidem eſt ad totum *Elixir* continens præterpropter *uncias octuaginta duas* inſtituta computatio

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0071-6
DFG

putatio, quam, ſi ulteriùs reſolvere animus eſt, reperiemus *ſingulam Elixirii unciam vix omnium Specierum Mitridatii ſimul ſumptarum granorum quatuor & tertiæ partis grani unius* Virtutibus inſigniri, ex quibus *granis*, quanta *Efficacia* in *quamlibet Unciam*, ac ulteriùs in *quamque Doſim* (quarum *Uncia* ut minimum quatuor continet, etſi ultra *Dragmam unam* non ſæpe aſcendatur) redundare queat, judicet, qui hæc attenta mente pervolvit: ſummam nimirùm Efficaciam & Energiam *Grani unius*: proh quanta Miracula inde quis præſtoletur! Vim inquam & Energiam *Grani unius totius Compoſiti complectentis quinquaginta duo diverſa ingredientia*: quantùm nunc putet quiſpiam ſingulorum ingredientium *unam Doſim* ditare? Certè talia Compoſita tam exigua quantitate aliis Compoſitionibus adjicere, ecquid aliud eſt, quam Muſcam in Apuliam dimittere, & fabam (ut dicimus) in Cacabum Braxatorium? Nonne præſtaret *unum aliquod ingredientium Antifebrile* ex tota illa farragine excerptum debita Doſi *Mitridatio* ſubſtituere? meo certè judicio.

Porrò, ut cognitâ *ingredientium Proportione quam maximè Medicis neceſſariâ*, quivis *congruam Doſim* præſcribere valeat; quantùm ſingulorum *Uncia* quæque hujus *Elixirii* admittat, proximè ſubjeci. Nempe

Garyophyllorum ſcrupulum unum, grana tria, & quartam partem grani,

Specierum Mitridatii grana quatuor & tertiam partem grani, quanta proportio!

Camphoræ grana quatuordecim ſemis,

Olei Juniperi grana quatuor & tertiam partem grani unius,

Salis volatilis Cornu Cervi grana tria circiter.

Secun-

Secundùm quæ augere vel minuere *Elixirii Doſim* pro re nata, cuivis obvium eſt.

Circà *Præparationem* autem illud præcipuè advertendum, ut *Camphora & Oleum Juniperi* per minima toti Compoſito permiſceantur, quod non adeò facilè fit, quin prius in floccos colligatur, poſterius ſupernatet. Præſertim, ſi *Spiritus Vini anteriorum Specierum Tincturâ* imprægnatus, non fuerit *Dephlegmatus*, & *Oleum* non ſit recens deſtillatum, ſed vetus. Conveniet igitur *Camphoram* cùm *Oleo Juniperi* contuſam ulteriùs *Spiritùs Vini Rectificati aliquot unciis* ſolvere & tantùm de *Spiritu Vini prævio in priori Extractione* demere, ac ita demùm *elicitæ Tincturæ* addere ac leni Digeſtione debitè unire.

In Spiritum Aromaticum Oleoſum deſcriptum. pagina 20. & 21.

IN præparatione *Spiritus Aromatici Oleoſi* miror, quare *herbarum illarum Odoriferarum*, & *Balſamicarum ſubtiliores præpoſterâ illa exſiccatione particulæ*, non parvæ in operando Efficaciæ futuræ fugari priùs debeant: convenientiùs igitur *Herbæ ſingulæ recentes*, ſicut & *Cortices Aurantiorum* & *Citri*, *ſiccis* ſubſtituentur.

Circa *Spiritum*, *Vini Camphoratum* & *Rectificatum* nil peculiariter occurrit.

In Spiritus Ardentes deſcriptos pag. 21.

NOrmâ quidem præſcriptâ *Spiritus Ardentes* deſtillari poſſunt: nè tamen *ex fermentatis Vegetabilibus Spiritus Ardentes* priorem *Vegetabilium* Naturam undequaque referentes præſtoleris, quia haud rarò deprehendimus eos *à primeva Vegetabilium Natura* toto cælo diſtare, ut perſpicuum

eſt

eſt *in frigidioris Naturæ Plantis*, ut *Roſis*, *Fragis* &c. quorum *Spiritus* eliciti certè non *Refrigerante*, & *Adſtringente*, vel *Laxante Roſarum Virtute*, ſed potiùs *Calefaciente* & *inflammante* pollent.

Hæc equidem ſunt, quæ circa *Aquas*, tum *ſimplices*, tum *compoſitas Diſpenſatorii Bruxellenſis* annotanda obviam facta ſunt: cæterùm adhuc ſuperſunt *Aquæ aliquæ compoſitæ Lovanii etiamnum uſitatæ*, ex quibus magnos ac miros effectus nonnulli ſibi pollicentur, quæ, an ſuo Etymo correſpondeant ac Ingredientium ſuorum Virtutibus (quia res hæc propriè nos attingit) abundè vigeant, nunc inquirendum.

ANIMADVERSIONES

In Aquam Hirundinum, Limacum Magiſtralem, & Aquam Vitæ Mathioli quarum deſcriptiones, ut in uſu ſunt, ſequuntur.

Aqua Hirundinum.

℞ *Pullos Hirundinum vivo corpore laceratas aut diſſectos* numero viginti quatuor,
Viſci Quercini uncias tres,
Nucleorum Seminum Pæoniæ maris unciam unam.
Radicum Pæoniæ Maris uncias duas,
Aquæ Liliorum Convallium,
Florum Tiliæ,
Pæoniæ,
Sambuci ana libras duas & ſemis.

Miſce ſecundum artem & ſtent in infuſione horis viginti quatuor loco calido, & deſtillentur per B. M. ſervetur Liquor ſtillatitius uſui.

Aqua Limacum Magiſtralis.

℞. *Succi Hederæ terreſtris*,

Tuſſi-

Tuſſilaginis,
Scabioſæ,
Pulmonariæ maculatæ ana libram unam, & ſemis,
Succi Portulacæ,
Plantaginis,
Ambroſiæ,
Veronicæ ana libram unam,
Sanguinis Porcini recentis,
Vini albi ana libras quatuor,
Limacum Hortenſium inciſarum libras duas,
Foliorum Nicotianæ ſiccorum numero octo,
Radicum Glycyrrhiſæ pulveriſatæ uncias duas,
Enulæ Campanæ unciam ſemis,
Ireos Florentinæ unciam unam,
Seminum Bombacis unciam unam,
4. *Frigidorum majorum*,
Aniſi ana dragmas ſex,
Croci Dragmam unam,
Florum Roſarum rubrarum manipulum unum & ſemis,
Violarum,
Boraginis anr manipulum uuum.

Stent in digeſtione in loco tepido, poſteà deſtillentur in cineribus ad ſiccitatem.

Aqua ſeu Elixir Vitæ Mathioli.

℞. *Cinamomi* unciam unam,
Zingiberis dragmas quatuor,
Santalorum omnium ana dragmas ſex,
Zedoariæ unciam ſemis,
Garyophyllorum,
Galangæ,
Nucis Moſcatæ ana dragmas duas & ſemis,
Macis,

Cube-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0075-9
DFG

Cubebarum ana dragmam unam,
Cardamomi utriuſque,
Seminum Melantii ana dragmas tres,
Aniſi,
Fœniculi dulcis,
Paſtinacæ,
Ocymi,
Radicum Angelicæ,
Cariophyllatæ,
Glycyrrhiſæ,
Calami odorati,
Phu majoris,
Foliorum Sclareæ,
Thymi,
Calaminthæ,
Pulegii,
Menthæ,
Amaraci ana dragmas duas,
Florum Roſarum rubrarum,
Salviæ,
Betonicæ,
Roriſmarini,
Stæchados,
Bugloſſæ,
Boraginis ana dragmam unam & ſemis.
Corticum Citri dragmas tres,
Specierum Diambræ,
Aromatici Roſati,
Diamoſci dulcis,
Diamargariti frigidi,
Dihoardonis Abbatis,
Electuarii de Gemmis ana dragmas tres.

Terenda trita immittantur Vaſi Vitreo, eique affundantur

139

Spiritus Vini optimi libræ duodecim.

Et poſt quindecim dierum digeſtionem appoſito Alembico Vitreo fiat Deſtillatio in Balneo Vaporoſo, liquori prolecto immergendo.

Santali odorati dragmas duas,
Moſci,
Ambræ griſeæ in nodulo ligatorum ana dragmam ſemis.

Et poſt ſufficientem infuſionem edulcoretur Liquor *Julep Roſarum* librâ unâ.

In Aquam Hirundinum.

TItulo de *Aquis ſimplicibus* egimus de delectu *Vegetabilium* in ordine ad *Deſtillationem*, nec non recta methodo ex iiſdem *deſtillandi Aquas*, ſimplicium, è quibus eliciuntur, Viribus integris (quantum pro tanta eorum varietate licuit) gaudentes.

Nunc de *Animalibus* tractandi, ac utrum *Deſtillationi ſimplici* affuſo Liquore apta exiſtant, inquirendi ſeſe offert occaſio.

In eum finem primò conſideranda & examinanda venit Natura eorum ac Craſis, an nimirùm *fixa* ſint, an *volatilia*, quæ niſi optimè & Pharmacopæis & Medicis cognita ſint, nil penitùs boni efficient.

Deprehendimus autem totam eorum Energiam, ſicut & partium eorum omnium & ſingularum in *Particularum Volatilitate* ſubſiſtere, ea tamen ratione (de *Animalibus Mactatis* liquor, non de *Vivis*) ut vehementiorem ignis torturam ſuſtinere debeant *Principia ſua*, ſeu *Elementa* de ſe promptura, quam *Vegetabilia* quædam *Naturæ Sulphureæ* & *Balſamicæ*: proinde, ſive per ſeſe, ſive liquore affuſo ad totalem etiam eorum ſiccita-

tem

tem *deſtilles*, *coquas*, *vel torreas*, nil de Viribus ſuis in ſublime dimittunt; ſed *humiditas tantùm Elementaris* eaque effœta in altum ſcandit, *Qualitatibus interim nutritivis aliiſque in juſculo vel maſſa relictis*.

Nec contra facit quorumdam objectio aſſerentium *vapore Carnium elixatarum*, aut *aſſatarum* reſtaurari imbecilles Ægrorum vires, imò ipſos Coquos in culinis *Eduliorum Vapore* ſaturari ac enutriri: namque, ſi hoc verum ſit, quin *Carnes crudas* etiamnum *Vapore nutritio* turgidas vel ipſos *elixatarum* aut *aſſatarum Carnium Vapores* Alembico exceptos Convivis ſuis apponunt? Certè talia mordicùs ſuſtinentibus Alimentum ſuum imaginarium *Exhalationes* inquam *Aqueas* libenter dimitterem, ego interim *Carnibus coctis*, *eorumque juſculis* lautè veſcerer, nec paucos mihi in eo refragantes ſocios inventurum me eſſe exiſtimo: non enim arbitror lauti aliquem adeo genii reperiri, qui repudiatis *Carnium Subſtantiis avolantes aſſatarum* aut *elixatarum Carnium Atomos*, velut Muſcas in aura pro cibo venaretur.

Nec meam hanc eſſe de *Carnium Subſtantiis* nudam ſententiam, quis opinetur; ſed placitum eſt magni Galeni, qui *Viperas* eo mollitiei coquendas præcepit; donec Carnes earum ab oſſibus deciderent cum pane biſcocto in Trochiſcos redigendæ ac poſtea exſiccandæ: quod certè neutiquam feciſſet, niſi poſt *vehementem* etiam *coctionem* Vires earum intimiùs iis inherere judicaſſet: quin & *alia Animalia* eorumque *partes coctæ* & *exſiccatæ* Virtutibus ſuis integrè gaudeant? Porrò ipſa *Animalium Analiſis* rem magis adhuc elucidabit. Igitur

Accipe *Animal* quodcumque, vel ejus *Carnem Sanguinem*, *Oſſa*, *&c.* quod lubet *exſiccatum* & *ad*

tota

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0078-7

totalem ariditatem redactum: immitte Retortæ Vitreæ loricatæ ac igne aperto, vel arenæ vel ſcobis ferri recipiente præpoſito; juncturiſque exactè clauſis fiat Deſtillatio igne gradatim aucto ad totalem *Radicalis Humiditatis* expulſionem, donec Retorta tandem candeat, & colliges *Spiritum Salinum* unà cum *Sale Volatili* collo Retortæ & recipientis lateribus utplurimùm adherente cum *Oleo fœtido* ac *craſſo*, *Terrâ mortuâ* in fundo relictâ. Hæccine *Animalium Principia* ac *Virtutes* affuſo liquore *Deſtillatione ſimplici* etiam ad *ariditatem* inſtituta per Alembicum propelli demonſtrant? Porrò, ut ulteriùs pateat veritas aſſertionis meæ *Subſtantiam* ſcilicet *Animalis* liquori in quo coquitur communicari, nullatenùs tamen ſublime petere.

Accipe *Gelatinæ Cornu Cervi* (quæ rationem *Juſculi ex Animalibus vel* eorum *partibus decocti* obtinet) quantitatem ſufficientem, eamque ad totalem, ſiccitatem obſtractam ac Retortæ loricatæ commiſſam deſtilla (ut ante inſinuatum ad totalem Retortæ excandeſcentiam, obtinebiſque eadem omninò *Principia*, quæ ex *Animalibus*, *eorumve partibus* ſolent deſtillari. Verùm enim verò hæc de *Animalium Cadaveribus*, qualia in *hac Hirundinum Aqua* præſcribuntur dicta ſunt. Aliud autem eſt de *Animalibus vivis* Deſtillationi commiſſis, quæ præter modò dicta *principia* in ipſo Deſtillationis principio, *Spiritum Vivificum* præbent *maximè volatilem*, *Vitam* ac *Symbolum Animalis* referentem ſummopere in Medicina expetendum, cujus deſtillandi modus inferius clareſcet. Ac ne gratis *Spiritum hunc Vivificum* aſſeruiſſe videar, lubet Authorum aliorum teſtimonia & Naturæ ſecreta paululum rimari.

Imprimis igitur compertum eſt *Animalia viva* liquori alicui immerſa, in eoque ſuffocata inſignem eidem facultatem imprimere affirmante Galeno, Quercitano, aliiſque Medicis non paucis, qui *Vinum*, in quo *Viperæ extinctæ* fuerant optimo ſucceſſu *leproſis* propinarunt. Quid, quod *Vino illo Viperino* etiamnum nobiliores quædam fœminæ Anglicæ ad formoſitatem cutis & totius corporis pulchritudinem ſibi conciliandam pro *Coſmetico interno* utantur, teſte Zwelfero, qui propriâ experientiâ fidem facit ſe ex frequentiori *vini illius uſu* inſignes ac felices obſervaſſe operationes: & nonne experimur *Scorpiones* ſola in *Oleo ſuffocatione* ac *infuſione* ſpecifica illud virtute imbuere? deinde præfatus Zwelferus affirmat ex *Catellis junioribus* & *Hirundinibus vivis* Aquam deſtillari *Spiritu Vivifico* turgidam mira in affectibus pluribus præſtantem, hiſce verbis.

" Utraque Aqua ſive ex Hirundinibus ſive Ca-
„ tellis vivis deſtillata ſit, internè exhibita in Epi-
„ lepſia ſive infantum, ſive Adultiorum Virtuti-
„ bus non exiguis pollet, mitigando & compeſ-
„ cendo furentem Archeum hinc & plurimis Af-
„ fectibus aliis atrocibus, Hyſtericis præſertim
„ proficua eſt." Et paulò ante:

" Ex Catellis quinque vel ſex dies natis Anima-
„ libus nempe ad Craſim Humanam proximè ac-
„ cedentibus Calore & Spiritu multo uberrimè
„ adhuc præditis deſtillando præſtantiſſima elici-
„ tur Aqua inſipida, nec odore vel ſapore ingrato
„ imbuta inſtar aquæ fontanæ, quæ quantis Virtu-
„ tibus excellat, ex eo liquet, quod, ſi membris
„ Dolore atrociſſimo Podagrico obſeſſis pennâ
„ ſaltem illinatur vel linteolo in ea madefacto
„ parti dolenti applicetur ſine ligatura, in inſtanti

„ ferè

„ ferè præſentiſſimum percipiatur levamen Do-
„ loribus evaneſcentibus." Et poſtea pro cautione addit, ne quis fortè infelici Experimento ſpe ſuâ fraudatus Authorem impoſturæ argueret. " Porrò „ & hoc notatu dignum eſt, quod, cum hæ Aquæ „ Spiritum Vivificum & conſequenter ſummè „ volatilem contineant, eæ ad longum & diutur- „ num tempus viribus ſalvis aſſervari nequeant, „ ut ut arctè & ſtudiosè vitra, quibus conſervan- „ tur, obturentur, ſed ut protinus ac deſtillatæ „ ſunt (quo citiùs, eo meliùs) Affectui ſive in- „ terno ſive externo adaptentur, neceſſum eſt: „ cum ultrà duas, aut ad ſummum tres Septima- „ nas vires non retineant, cujus meipſum non „ una, ſed crebrior „ admonuit Experientia.

Si tales ex *Hirundinum* & *Catellorum Spiritu Vivifico* prodeant effectus, quid ni &*ex aliis Animalibus* tum *perfectis*, tum *imperfectis vivis deſtillatis* ſimiles aut fortè majores ſperemus, ſi altiùs paulò Naturæ arcana contemplemur: & certè hiſce & ſimilibus manu velut ducimur ad ſecretiora Naturæ abdita inveſtiganda.

Atque hæc ad probationem *Spiritûs Vivifici* latiùs paulò, & quaſi ultrà limites deducta ſunt: nunc ſecundùm hactenùs dicta concinniorem *Hirundinum Aquæ Compoſitionem* aggredior quia autem deſcriptio ejus recipit *Vegetabilia* parùm Virtutisnativæ & efficaciæ per Alembicum pellentia, en modum optimum quo *Ingredientium omnium Vires* ad prædeſtinatum ſuum effectum integrè aſ ſervari queant.

℞ *Aquæ Liliorum Convallium.*
Florum Tiliæ.
Pæoniæ.
Sambuci ana *ſine additione aquæ*

 ſimpli-

ſimplicis in Balneo vaporoſo deſtillatarum libras duas ſemis,

Quibus groſſo modo contuſas infunde
Viſci Quercini uncias tres,
Seminum Pæoniæ maris unciam unam,
Radicum Pæoniæ Maris uncias duas.

Detineantur loco calido per aliquot dies; donec eorum *Eſſentia & Tinctura* ſufficienter videatur extracta, quam *Tincturam* filtrationis medio à reſiduis Speciebus ſeparatam interim ſerva: Tum

℞ *Pullos Hirundinum recenter è nidis exceptos vivos* numero viginti quinque vel plures, quos cucurbitæ vitreæ, vel Balneo vaporoſo immiſſos, ſtatim appoſito Capitello munitis exactè juncturis, deſtilla in Vitrum Recipiens *priorem Tincturam* continens ad totalem ariditatem, ita enim *Spiritus Vivifici cum aqua elementari priori Tincturæ* ſeſe ſociantes *efficaciſſimum* reddunt *liquorem*, quam optimè vaſe vitreo cerâ ac veſicâ obturato interim aſſervandum. Tum verò accipe *aridos à deſtillatione prægreſſa relictos Hirundines*, ac paululum confractos immitte Retortæ vitreæ loricatæ, & per gradus ignem angendo in Arena vel igne aperto deſtilla ad totalem *radicalis humiditatis expulſionem* & *Hirundinum combuſtionem*, prodibitque *Spiritus Salinæ Naturæ cum Sale volatili* & *Oleo craſſo ac fœtido*, quæ ſtudioſè collecta Phialæ vitreæ ſatis altæ immittantur, appoſitoque Capitello ac Recipiente parvo præfixo juncturis probè munitis ſiat in Arena ſublimatio *Salis volatilis*, qui *Olei craſſi* & *Stagmatis aquoſi* vinculis ſeſe haud difficulter expediens, Capitellum ſine mora petit, donec eum à *ſubtiliore Spiritûs parte* fugacem hoſpitem ſubſequente fuſum & liquatum animadverteris: hunc verò *liquorem ſalinum volatilem* ſtatim

ſuperiori Eſſentiæ Spiritu Vivifico inſignitæ adjunge, & obtinebis hâc methodo *Aquam integris Hirundinum aliorumque ingredientium virtutibus uberrimè imprægnatam. Oleum* verò *craſſum* cum Stagmate empyreumatico liquori illi non addendum; cum Sale volatili (in quo potiſſimùm Animalium Eſſentia & Energia conſiſtit) per ſublimationem privata ſint; ſed Oleum abjecto Stagmate pro uſu externo reſervari poterit.

Nota, poſt priorem *Spiritûs Vivifici* prolectionem non diu morandum ab Hirundinum ulteriori Deſtillatione, ſed quantociùs inſtituendam, ut *Sal volatilis Spiritui Vivifico* ſtatim uniatur; ob ſymbolum enim quem *Salia* habent ad ſe invicem (quia *Spiritus vivificus in Sale quodam ſubtiliſſimo* conſiſtere videtur) arctum mutuo ineunt Connubium ac durabilem reddunt liquorem: nec alioquin *Spiritus Vivificus* ex quibuſcumq: *Animalibus* eum elicias, ullis poteſt limitibus coerceri, quin ſtatim tenues evaneſcat in auras. Idem quoque obſervandum, ſi cui *Aquas ex Hirundinibus, aliiſve Animalibus ſolis Spiritu Vivifico inſignitas* ad ſupra nominatos effectus deſtillare animus eſt, ut quamprimum ei *Sal* aliquis ſive fixus, ſive volatilis, ſeu ex utroque conflatus addatur, niſi brevi inutilem & effœtam vappam ſibi pro theſauro recondere velit.

Tibi nunc Lector benevole judicandum relinquo, quantum hactenus Authores plurimi in ſuis Compoſitionibus hallucinati fuerint, *Animalia* pariter & *Vegetabilia* uni, eidemque Deſtillationi ſubjicientes neutrius agnitâ Naturâ, aut ſaltem utriuſque Naturæ cognitione neglectâ.

In Aquam Limacum Magiſtralem.

NUnc ſeſe offert *Aqua Limacum Magiſtralis* plenis buccis à nonnullis in *Phtiſi aliiſque*

Thoracis ac Pulmonum affectibus decantata, in qua, quam eximium lateat *Magiſterium*, ac utrùm præter inanes ſonos quidquam contineat, ſuccinctè examinaturi, ſub rectæ Rationis & Experientiæ incudem eam pauliſper revocemus.

Primò itaque occurrunt *Succi aliqui Herbarum expreſſi*, qui certè *ſibi relicti*, vel in *Extracta* redacti ſimul, vel ſeorſim exhibiti optimos hic & nunc in *variis Thoracis* affectibus (in quos ab Authore directi ſunt) præſtare valent effectus, *Aquæ* verò ex iis elicitæ nihil, vel parùm admodùm de *Herbarum* vel *Succorum* ex iis extractorum virtutibus participant, cum ii omnes *Terreſtris Genii Vires ſuas* nempè *Conſolidantes*, *Detergentes*, *Adſtringentes*, *&c. in reſiduo à Deſtillatione integras* recondant de ſe per Alembicum præter *Aquam elementarem inſipidam* (niſi *Succus Hederæ Terreſtris* additus foret) nil penitùs amandantes.

Præſtiterit itaque (ut paulò ante inſinuavi) *hos Succos depuratos vel eorum aut Herbarum integrarum Extracta* in præfatis affectibus in uſum vocaſſe, quàm abjectis Nucleis Ægros Corticibus paviſſe.

Sequitur *Sanguis Porcinus* mulierculis noſtratibus pro opplendis farciminibus in uſum cedens, ex quo, quid præter Aquam Elementarem nullius momenti ſimplici hac Deſtillatione elici poſſit, facile eſt ex prægreſſa in Aquam Hirundinum Animadverſione colligere: ex *ſiccato* autem tum *Porci*, tum alterius cujuſvis Animalis Sanguine, vehementiori igne per Retortam eadem, quæ ex *ullo Animali* aut *ejus parte* propelluntur principia, *Spiritus* nempè, *Sal volatilis & Oleum fœtidum*. Sed rogo, quid amplius energiæ latet in *aquea ſanguinis Porcini humiditate*, quàm *Hircini*, quem tamen

Sangui-

Sanguinem exſiccatum in noſtros uſus, tamquam 143
nobis Homogeneum & Mumialem, aſſervare, ac propinare jubent eidem, qui hanc *Limacum Aquam* tantopere deprædicant, ſpreto interim *Vapore* in ejus exſiccatione exhalante? Certè vel ex proprio eorum Calculo patet, quanta ſecreta *Aqua hæc Magiſtralis à Porci Sanguine* mutuetur.

Succedit in præſcriptione *Vinum*, quod ſolum (ſi *Semen Aniſi* exceperis) ex cunctis *hujus Aquæ* conſtitutivis vires ſuas integrè communicat poſt ſe relicta *inutili Vappa*.

Modò ad *Limaces* progredior, qui nobis nil melius, quam *Porci Sanguis* in hac Deſtillatione promittunt; exiſtunt enim ſolidioris ac glutinoſæ ſubſtantiæ, coctionis ac digeſtionis duriuſculæ, qui utut decoquantur, *Mucilaginem* tamen in qua *Virtus* eorum, *Nutritiva, Conſolidans* & *Humectans* ſubſiſtit, in juſculum deponunt ad totalem etiam ſui ſiccitatem *Limacum* Qualitates retenſurum, non aliter ac in *aliorum Animalium* eorumve partium Decoctione uſuvenire ſolet; quis enim eò induci ſe patiatur ut credat ad lubitum noſtrum actione quadam inſtantanea *Limacum Naturam* perverti, ut *Succus eorum viſcoſus* in quo *Vis ejus Nutriens*, *Conglutinans*, &c. in præfatis affectibus expetita ſtabulatur, in ſublime feratur per Alembici Roſtrum in exciplum depluiturus? Ac ita clarè videmus nec *Limaces* vel atomum quidem Virium ſuarum huic *Aquæ* conferre.

Nicotiana, quæ *Limaces* ſequitur, una eſt ex *illis Plantis*, quæ neque *Deſtillatione*, nec *Extractione* ſolis Vires ſuas integrè fundunt, ſed *Acrimoniæ ſuæ partem nauſeoſam* per Alembicum quidem tranſmittit, *partem* tamen *Balſamicam Detergentem ac Deſiccantem*, quæ in *Phtiſi a pulmo-*

num ulcere orta aliquid poſſet præſtare, in fundo retinet; ac ita nec *à Nicotiana* quidquam *huic Aquæ* notatu dignum accedit.

Poſt *Nicotianam* ſeſe offerunt *tres Radices* nempè *Glycyrrhiſæ*, *Ænulæ Campanæ & Ireos Florentinæ*, quarum media ac ultima parum admodùm Odoris Liquori diſtillato impertient, potiſſimâ tamen earum Virtute in reliquo à Deſtillatione recunditâ, ut indies in earum *Decoctis & Extractis* experimur: *Radix* autem *Glycyrrhiſæ*, etſi Menſem integrum coxeris aut deſtillaveris, nil penitùs genuinæ Facultatis à ſeſe ſurſum dimittit, ſed integras ſuas Qualitates in reſiduo deponit: unde patulum exiſtit, quantum etiam ex his *hæc Aqua* Virium mutuetur.

Hinc ad *Semen Bombacis*, *quatuor frigida majora*, *& Semen Aniſi* me converto, quorum ultimum (fateor) Virtutes integras affuſo Liquore deſtillatum per Alembicum transfundit, reliqua verò *Frigidæ*, *Terreſtris* ac *Mucillaginoſæ Naturæ*, ne hilum quidem propriarum Qualitatum *Liquori ſtillanti* communicabunt defectu *partium ſpirituoſarum* quæ ſolæ in Deſtillatione aſcendunt: unde recta ratio ac vera praxis ſuaderet ex hiſce & ſimilibus *Emulſiones* præparare additis *aquis appropriatis*, ægris majori cum emolumento propinandas.

Crocus, *pulmonum anima* à non paucis dictus non ineptè *huic aquæ Pulmones reſpicienti* additus eſſet, ſi *Vires ſuas anodinas* ac *Roborantes* plurimum expetendas per Alembicum, transfunderet, verùm, cum eas in fundo concentret, aliquàlem tamen *aquæ deſtillatæ* Odorem impertiatur, quod apertè convincit, non *omnes ejus Qualitates* in reſiduo recondi, majori cum fructu *Phtiſicis & aſthmaticis* in *Subſtantia pulveriſatus*, vel ſaltem ejus *Tin-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0086-1

Tinctura ſeu *Eſſentia* dexterè præparata exhibebitur.

Agmen tandem claudunt *Flores Roſarum rubrarum, Violarum & Boraginis*, qui talis ſunt Naturæ, ut nil penè de Viribus ſuis *Aquæ prolectæ* tribuant, totis, ferè in reſiduo à *Deſtillatione* ſtabulantibus: præſertim, ſi *ſicci* ſint; etſi ingenuè fatear, ſi *recentes Deſtillationi* adhibeantur, eos *Odorem ſuum* & *fragrantiam* (utpote *Roſas & violas*) *Liquori prolecto* communicare, nil tamen de *Qualitatibus humectantibus & Adſtringentibus* ad memoratos Affectus hic & nunc expetitis. Satiùs itaque futurum arbitror eorum *Conſervas*, *Syrupos*, *Decocta*, *aut infuſa* in uſum medicum trahere, quam eos perperam ſimilibus *Deſtillationibus* ſubjicere.

En tibi amice Lector totam hujus *Aquæ ingredientium* farraginem, quâ fieri potuit brevitate in ſcenam productam, è quibus modo ab Authore aſſignato deſtillatis, *quanta in Thoracis ac Pulmonum Affectibus Panacea* & quam *Magiſtrale opus* exurgat, tibi judicandum relinquo. Cæterùm meum nunc eſſet inconcinnam hanc *Aquæ Compoſitionem* ad concinniorem normam reducere: verùm, cum ex prædictis demonſtraverim maximam eorum partem Deſtillationibus ejuſmodi planè imparem eſſe, labori huic (ne oleum & operam perdam) ſuperſedeo, ſuadens ut ſingula eo, quo ab Authore Naturæ ac ipſa ſua Natura deſtinata ſunt modo, uſibus Medicis accommodentur, ea nempe quæ *Sulphureæ ac volatilis indolis* ſunt *Deſtillationibus*, quæ *Terreſtrioris fixioriſque Genii Decoctionibus*, quæ autem *mediæ* exiſtunt *Naturæ extractionibus liquidis* ſeu *Eſſentiis* adaptando.

In

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0087-7

In Aquam Vitæ Mathioli.

QUi pompoſam hanc *Aquæ Vitæ Mathioli* Compoſitionem perfunctoriè inſpexerit, neſcio, quos ſibi miros effectus ex uſu illius pollicebitur: verùm, ſi attentiùs paulò ejus *Conſtitutiva* examinentur, protinùs ſua ſe ſpe fruſtratum iri animadvertet, dum ex iis non pauca, quæ tamen *huic Compoſitioni* maximum faſtum & pretium addunt, ne *hilum* quidem *Virium ſuarum* eidem impertiri reperiet: etenim, ſi *Compoſita Compoſitis* ineptè addita in *Principia ſua* reſolvamus conſtat hæc *Compoſitio centum ſeptuaginta quatuor ingredientibus*, quorum plurima ter, quater, imo quinies vel ſexies inutiliter conſarcinantur: porrò quænam ex earum plurimis in *hanc Aquam* virtus redundet, paululùm inquiramus.

Primò itaque ſub cenſuram & examen veniant non *pauci Lapides pretioſi*, *Hyacinti*, *Smaragdi*, *Saphyri*, *Sardi*, *Granati*, qui quidem talis exiſtunt Naturæ, ut non modò *coctionem annuam* ſine Virium jactura ferre poſſint, ſed etiam ignis vehementis torturam ſtrenuè ſuſtineant. Anne eò fortè quiſpiam ſimplicitatis devenit, ut hæc putet *præternaturaliter rarefacta leni Deſtillatione inſtar Roris* in exciplum depluitura, aut ſaltem inſtituta *Digeſtione Sacchari* aut *Mellis* more ſoluta *liquorem* impregnarura? *Margaritas & Coralla*, quod attinet quæ *Species Diarhodonis*, *Diamargaritæ*, *Diamoſci*, *de Gemmis*, *&c.* ingrediuntur, nec ea quippiam de ſubſtantia ſua *Liquori Deſtillato* communicant, niſi *Aceto*, *Spiritu Veneris*, aut *alio Menſtruo acido* ſolutæ ac in *Salem* (ſic dictum) redactæ *filtrato* demum *Liquori* addantur.

A *Serico crudo* putreſcentis in folliculo Vermis *miaſ-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0088-2

miaſmatibus cadaveroſis infecto, quid *huic aquæ Virium Cordialium tranſcribatur, judicet*, cui mens integra contigit.

Ab *Ebore juſto* verò ſeu *Spodio* merâ terrâ mortuâ, quod inter furni figulini anguſtias beneficum humorem totum prævię exſudavit, quid tandem Liquori huic acceſſurum ſperemus?

Ad *Argentum* & *Aurum* tandem, quæ prodigo hoc ſeculo ſæpe nimis, utinam non noxiè *Compoſitionibus* ſuperingeruntur, deſcendo. Eorum autem & præſertim ultimi ea eſt *fixitas* ac *Durabilitas* ut acutiſſimo probatoriæ ac ſeparatoriæ fornacis igne diu multùmque torta, nihil tamen de Viribus aut Subſtantia amittant: & hæc in *Spiritum Vini Virtutes ſuas leni Digeſtione* transfuſum iri quis arbitretur? Certè, ſicut nec de *Pondere*, etſi ad *uncias aliquot* addita forent, ita nec de *Viribus ſuis* poſt annuam etiam Digeſtionem quidquam amiſiſſe, ex periêre.

Et hæc ſunt, quæ de *Pretioſarum ac inutilium rerum* inutili additione (quia, quæ ex *Vegetabilibus Deſtillationi* inepta ſint, ex præcedentibus in *Aquas diverſas Animadverſionibus* facilè haberi poteſt) breviter annotanda duxi, è quibus affatim quivis colligere poterit, quam inconſideratè nonnumquam *magnificæ tales* & *pompoſæ Compoſitiones* ex tot inter ſeſe Naturâ diverſis, imo omninò contrariantibus conſarcinentur, *Valatilia Fixis*, & *Volatilibus Fixa* miſcendo, non aliò, quam in Ægri ſummum detrimentum vergentes: ad quid enim illa tot *Gemmarum ac Pretioſorum Lapidum*, *Auri & Argenti* aliarumque rerum jactura, quam ut miſellis Ægris marſupium crudeliter exenteretur ſpe interim ſuâ de recuperandâ Valetudine plurimum fruſtratis. Itaquè ne illud impoſterum contingat,

gat, laboriſque ac ſumptûs compendium faciamus, aliam hic Rationi & Experientiæ magis conſonam *Elixirii* Compoſitionem ex eiſdem ingredientibus, Specierum Compoſitionibus in partes integrantes reſolutis, ſubjicio, ea quæ Deſtillationi magis apta exiſtunt, eidem adaptando, quæ verò ei inepta ſunt extrahendo, omiſſis etiam inutilibus & nocuis Compoſitionis hujus ſarcinis.

℞ *Cinamomi electi* dragmas novem & grana viginti quatuor,

Radicum Zingiberis unciam ſemis & grana triginta quinque,

Zedoarie unciam ſemis & grana viginti Quatuor,

Galangæ dragmas tres & grana tria,

Angelicæ dragmas tres,

Calami aromatici,

Valerianæ ana dragmas duas,

Garyophyllorum dragmas tres & grana tria,

Nucis Moſcatæ dragmas tres & grana octo,

Macis ſcrupulos quinque & grana quatuordecim,

Cubebæ ſcrupulos tres & ſemis,

Seminis Cardamomi majoris dragmas tres & ſcrupulum unum,

Minoris dragmas tres & grana viginti duo,

Melantii ſeu *Nigellæ* dragmas tres,

Aniſi,

Fœniculi ana dragmas duas grana tria,

Paſtinacæ dragmas duas

Ocymi dragmas duas, grana viginti quatuor,

Apii grana tredecim,

Foliorum *Sclareæ*,

Thymi,

Calamintæ,

Pulegii,

Folio-

Foliorum Mentæ,
Serpilli,
Amaraci ana unciam ſemis,
Florum Salviæ,
Betonicæ,
Stœchados ſeu lavendulæ,
Roriſmarini,
Bugloſſæ,
Boraginis ana *recentium* dragmas tres,
Corticum exteriorum Citri recentium unciam unam,
Spicæ Indicæ ſcrupulum ſemis,
Piperis longi grana triginta duo,
Nigri grana tredecim.

Inciſa & contuſa infunde in *Spiritûs Vini nonnihil dephlegmati* libris decem per aliquot dies in loco calido, deinde abſtrahatur *Liquor ſpirituoſus* ad Specierum ſiccitatem, Recipienti inter deſtillandum immittendo ſequentia nodulo laxo incluſa, utpote

Santali citrini unciam unam ſemis & ſcrupulos duos ſemis,
Rubri dragmas ſex & grana viginti duo,
Radicum Cariophyllatæ dragmas duas
Liqueritiæ dragmas duas & ſemis,
Doronici grana triginta unum,
Florum Roſarum rubrarum unciam ſemis & grana duo,
Croci,
Maſtichis,
Succini albi,
Radicum Been albi
Rubri ana ſcrupulum unum,
Ligni Aloes dragmam ſemis,
Ambræ griſeæ ſcrupulum ſemis,

Moſci

Moſci grana duo.

Ac poſtea permittantur eidem liquori infuſa in loco calido donec *omnis Tinctura* ſit ſufficienter extracta, tandem poſt noduli ſeparationem addendo ſi lubet

Salis ſolubilis Corallorum,

Margaritarum ana dragmas duas, fiat *Elixir* præcedenti multò præſtantius ac minori ære comparabile.

Hi ſunt quos in Aquis tum Lovanii, tum Bruxellis uſitatis errores graviores mihi reducendos, aut ſaltem ob oculos ponendos arbitratus ſum, & ſi alicui ſecundum eandem normam plurimorum Authorum *Aquas* tum *ſimplices*, tum *compoſitas*, Miracula etiam eorum præconiis pollicitantes, diſcutere ac examinare animus eſt, pares profectò, imo enormiores errores iteratò occurrere, luce meridiana clarius comperiet.

ANIMADVERSIONES
In Tincturas.
Et primò in Tincturam Croci deſcriptam pagina 22.

CRocus Aroma pretioſum ac in pluribus affectibus efficax cuilibet *Menſtruo aquoſo* pariter & *ſpirituoſo Tincturam ſuam* & Vires liberaliter impertitur, quamquam non perinde ſive cum uno, ſive cum alio liquore extrahatur, durabilis exiſtat: unde non immeritò Author hic *Spiritum Vini rectificatum* præſcripſit, quod ad longum tempus concreditas ſibi *Vegetabilium Tincturas ac Virtutes* (modò arctè in vitro concludantur) inviolatè conſervat: verùm minùs dexterè in ejus *præparatione*, ac ubique ferè in omnibus Compoſitionibus ut Author hic, ita & plures alii tritum illud pro clauſula

clauſulâ adjiciunt, *fiat ſecundum artem*, ac ſi muneri ſe ſuo ſatisfeciſſe arbitrentur, ſi cuivis Pharmacopæo ſecundum arbitrium proprium, & ſcientiam quandoque ſatis rudem, rerum *Eſſentias* aliarumque Compoſitionum elaborationem concredant, parum conſiderantes, non omnes, etiam qui in arte Magiſtri audiunt, æquè eſſe verſatos: unde optandum foret, ut ejuſmodi viri paulò in explanatione intentûs ſui liberaliores exiſterent meliùs ſibi Ægriſque conſulturi.

Porrò, ut *Croci* tota *Eſſentia* & *Tinctura* debitè eliciatur, ac uniformiter ubique proſtet, ſuaſor ſum, ut uno ex allegandis modis procedatur.

℞. *Spiritûs Vini rectificati* libram ſemis.

Hanc affunde *Croci optimi* unciæ uni & poſt aliquot dierum digeſtionem in loco calido abſtrahe *Spiritum Vini* in Balneo Mariæ ad *Croci* ſiccitatem *Spirituque* prolecto ſtudioſè interim aſſervato, *Crocum* in fundo Alembici relictum cum *Spiritûs Vini* repetitim affuſi ſufficienti quantitate extrahe, donec *Tincturam* ultrà præbere neget. *Spiritum Vini tinctum omnem* filtratum deſtillando abſtrahe ad *Extracti Conſiſtentiam* : *Extractum* hoc cum *priori Vini Spiritu Croci partibus ſubtilioribus* in primâ deſtillatione *imbuto* ſolvatur, digeratur, filtretur (ſi opus ſit) ac uſui reponatur. Vel

℞ *Croci optimi* unciam unam: matracio immiſſæ affunde *Spiritûs vini rectificati* libram ſemis, digerantur per dies aliquot calore leni, tum *Spiritus Croci Tincturâ imprægnatus*, a *Croco* per expreſſionem ſeparatus ac filtratus abſtrahatur in arena vel Balneo Mariæ ad remanentiam præterpropter unciæ unius.

Porrò *Spiritus abſtractus* iterum priori *Croco* ab extractione prima reſiduo affundatur, ac, ut ante, per

per dies aliquot digeratur, demum a fæcibus forti expreſſione ſeparetur, filtretur, & cum priori *Extracto liquido* commiſceatur in *Tincturam elegantem.*

In Tincturas Cinamomi & Caſtorei deſcriptas Paginâ 22.

C*Inamomi Tinctura* ad normam *Tincturæ Croci* modò deſcriptam elici poteſt, ſicut & *Tinctura Caſtorei.*

In Tincturam Gummi laccæ deſcriptam Paginâ 22.

IN *Tinctura Gummi Laccæ* procedi poteſt juxta methodum ultimam in *Tinctura Croci* indigitatam: notandum tamen, non ad mentem Authoris ſumendum eſſe *Spiritum Cochliariæ ultimum*, ſed potius *primum*, aut ſaltem *miſcellaneum*; *ultimus* enim *Phlegmate* nimio huic *Gummi* extrahendo impare oppletus eſt.

In Tincturam Opii, ſeu Laudanum liquidum Tartariſatum deſcriptum pag. 22. & 23.

L*Audanum liquidum*, ſi modo præſcripto elaboretur, *Aromatum partes ſpirituoſas ac ſummè Valatiles in medietatis evaporatione* in auras abeant neceſsè eſt; ergo additio eorum (quatenus tales partes includunt) ſupervacanea exiſtit, vel *Deſcriptio* non ſatis Rationi & Experientiæ congrua immutanda: itaque, ne quid ex *Ingredientibus* perditum eat, procedatur in hunc modum.

℞ *Cinamomi electi*,
Garyophyllorum,
Macis,
Nucis Moſcatæ ana dragmam ſemis.

Contuſis affunde *Spiritûs Vini rectificati* uncias tres,

147 b

tres, & poſt aliquot dierum digeſtionem abſtrahe *Spiritum Vini* ad ſiccitatem *Aromatum*: deinde *Spiritum aromaticum* affunde

Croci optimi dragmis duabus,
Salis Tartari dragmæ uni,

Digerendo, donec liquor *Tincturâ* **Croci** ſaturatus appareat; inde colaturâ ac filtratione factâ adde denuo *Croco reſiduo Spiritûs Vini* uncias tres, digerendo iterum diebus aliquot: tandem colaturâ factâ Tincturas ambas filtrationis medio debitè depuratas commiſce, & cum eis ſolve

Opii Thebaici extracti minutim inciſi dragmas ſex (quia ab *Opio crudo* præſcripto in præparatione circiter duæ dragmæ indiſſolutæ remanent) detinendo in arena calida donec perfecta inter *Opium & Tincturas prænominatas* unio intercedat. vel

℞ *Croci optimi* dragmas duas,

E quibus partitis vicibus extrahatur *Tinctura* cum *Spiritûs Vini rectificati* unciis ſex, cum qua *Tinctura* digerantur ac ſolvantur,

Opii Thebaici præparati ſeu *extracti* dragmæ ſex interim.

℞. *Salis Tartari ſicci pulveriſati* dragmam unam, quâ excipe.

Olei ſtillatitii Cinamomi guttas duas,
Garyophyllorum,
Macis,
Nucis Moſcatæ ana guttas tres,

Et poſt aliquot dierum lenem digeſtionem cum *priori Tinctura* commiſce.

In Tincturam Tartari deſcriptam Paginâ 23.

QUoad hanc *Tincturam* notandum, quò diutius (ſaltem non excedendo terminos viginti quatuor horarum vel circiter) *Sal Tartari* calci-

calcinatur, eò *ſaturatiorem Tincturam* obtineri, ſive *color* ille *ruber* ſecundum aliquos à *Sulphure fixo Salis Tartari*, per Calcinationem poris reſeratis, procedat (ut in variis experientiis videmus, ubi ob additionem *Sulphuris* varia *Ruborem* induunt, ſic enim ex mixtura *Sulphuris* cum *Mercurio Cinabrium rubicundiſſimum*) elaboratur, *Colore rubro Oleum Terebintinæ*, *Juniperi*, *Aniſi*, &c. à *Sulphure* in ejus *Balſami* confectione tingitur) ſive à *particulis igneis* intra *Salis Tartari* poros abundantiùs admiſſis oriatur (ſic experimur in *Corallis calcinatis*, aliiſque eorum *Pondus* poſt *peractam Calcinationem* notabiliter augeri, quod certè augmentum, non niſi à *Particulis Igneis* in *Calcinatione* abundantiùs abſorptis eis accedere poteſt) priori enim caſu, quo diutius *Calcinatio* continuatur, pori magis, magiſque reſerantur, ac *particulæ Sulphureæ* à vinculis, quibus detinebantur, extricantur & magis magiſque ad Volatilitatem diſponuntur: Poſteriori, plus *particularum Ignearum* intra poros admittitur.

Porrò ut *Tinctura* hæc, tum in Colore, tum Virtutibus, exaltetur, hunc ſequere modum.

℞ *Salis Tartari puri* uncias ſex, calcinentur violento igne per diem integrum, tandem *liquidus* adhuc *Sal* ſuper marmor calefactum effundatur, in eoque tantiſper detineatur, dum in maſſam duram concreverit, quam illico in Mortario vitreo, vel marmoreo tere in pulverem, cui etiamnnm calenti Matracio colli longi immiſſæ ſuperfun de *Alchool Vini* ad eminentiam trium digitorum, & poſt dierum aliquot in loco calente digeſtionem decantetur *Liquor Sali ſupernatans*, quem lento Arenæ vel Balnei Mariæ igne abſtrahe ad remanentiam præterpropter quartæ partis. Dein, qui

pro-

148

prolectus eſt liquor (quia Acrimoniâ ſalinâ præditus eſſe, guſtu arbitro percipitur, adeoquè non exigua in penetrando, incidendo, & attenuando virtute pollet, ac proinde ne *Tincturam* per abſtractionem exaltando, aliquid interim ea de Virtute ſua deperdat) affundatur iteratò *Salis Tartari* ad modum prædictum calcinati & præparati unciis tribus vel quatuor, digerendo denuo, ut ante, dum liquor *Tincturam rubicundam* acquiſierit, quam a reſiduo decantatam priori adjunge, diligenter in vitro obturato aſſervandam, ſummè penetrantem ac in variis affectibus efficaciſſimam.

In Tincturam Succini deſcriptam Paginâ 23.

NOtandum in *hac Tinctura* in abſtractione *tertiæ partis* multum illi de partibus Succini volatilioribus plurimùm alioquin expetendis detrahi quæ jactura in hunc modum nonnihil reſarciri poſſe videtur.

℞ *Succini ſubtiliſſimè pulveriſati* uncias quatuor
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias ſeptem.

Digerantur ſimul per aliquot dies in loco calido, dein abſtrahatur *Spiritus Vini* ferè ad ſiccitatem in Balneo Mariæ. Porrò *reſiduum Succinum* cum *Spiritus Vini rectificatiſſimi* iteratò affuſi ſufficienti quantitate extrahatur, dum *Tincturam* dare neget: poſtea *Spiritus omnes tinctos* confuſos, ac filtro tranſmiſſos abſtrahe ad remanentiam circiter unciarum trium, quibus priorem *Spiritum à Succino abſtractum* continuò redde, ſimulque digere in leni calore ad perfectam unionem.

In Elixir Proprietatis deſcriptum pag. 23. & 24.

CIrca *Elixir Proprietatis primum* notare convenit *Alcohol Vini* uncias decem inſufficientes

 eſſe,

eſſe, etiam cum *liquore Nitri fixi* ad ſpecierum madefactionem requiſitō, *ut Mirrha*, *Aloes* & *Crocus* totam ſuam *Tincturam & Vires* eis impertiantur: *Alcohol* enim illico ab *Aloe* præſertim & *Croco* imprægnatur, adeo ut *Mirrha*. penè intacta remaneat tota: itaque ad minimum unciis quatuordecim opus eſt modiſque in *Tinctura Croci*, aliiſque indigitatis procedendum.

Circa *ſecundum:* ſedulò advertendum, ut *Alcohol Vini* plus, quam ad ſolam *Specierum Humectationem* eis affundatur, niſi Species à *Spiritu Sulphuris*, & præſertim, ſi *rectificatus* fuerit, aduri cupias ac in pulverem poſtea indiſſolubilem tranſire.

Fit etiam *Elixir* ſine *Acido* aut *Alcali* addito ex ſolis Speciebus per *Alcohol Vini* debitè extractis.

ANIMADVERSIONES
In Aceta
Deſcripta Paginâ 24. & 23.

ACeta ſimplicia, ut *ſambuci*, *Calendulæ*, *Roſarum* &c. ut aliquid ſaltem virium poſſideant ejus, cujus nomen mutuantur, trinam infuſionem requirunt, ut etiam *Acetum Scilliticum*, quod tamen ob *humiditatem Plegmaticam Scillarum non penitus ſiccatarum* minus durabile, quam præcedentia exiſtet.

In *Aceto Theriacali* eadem annotanda ſunt circa *Theriacam*, quæ in *Aqua Theriacali*, unde eo Lectorem circa hanc relego, interim tamen animadvertat velim *unciam unam hujus Aceti* continere *totius Theriacæ Specierum grana tria*. De reliquo circa *Compoſitionem*, procedi poteſt ſecundùm mentem Authoris, quamquam illud multò efficacius redderetur in modum ſequentem. ℞.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0098-2 DFG

℞ Radicum *Petaſitidis recentium* uncias 4.
Radicum Scorſioneræ,
Angelicæ,
Succiſæ ana *recentium* uncias tres,
Florum Calendulæ recentium unciam unam ſemis,
Croci Orientalis dragmas duas,
Radicnm Zedoariæ uncias duas,
Herbarum Petrocelini macedonici,
Scordii,
Galegæ,
Rutæ hortenſis ana *recentium* uncias tres,
Baccarum juniperi,
Herbæ Paridis ana unciam unam,
Corticum Citri exteriorum recentium uncias 4.
Mirrhæ electæ.
Cinamomi optimi ana uncias duas,
Macis unciam unam ſemis,
Specierum Theriacæ unciam ſemis.

Inciſis & contuſis affunde *Aceti Vini deſtillati* libras novem, & poſt trium vel quatuor dierum infuſionem in loco calido, deſtilla in arena ad ſiccitatem ferè ſpecierum.

Demum ex relictis cum *Spiritûs Vini* ſufficienti quantitate fiat *Extractum liquidius*, cum *priori Aceto Specierum partibus Balſamicis ac Volatilibus imprægnato* conjungendum, digerendum ac uſui ſervandum.

Sumpſi autem *Acetum deſtillatum*, utpote majori *Phlegmatis* parte viduatum ob *liquorem Phlegmaticum*, *ſimplicium tamen ſuorum virtutibus* non parum imbutum, ex *Radicibus*, tum *Herbis recentibus* per deſtillationem elicitum, qui alioquin in cauſa foret, ut *Acetum* citiùs ſitum contraheret.

Animadverſio generalis in Decocta.

CIrca *Decocta ſimplicia* artificium peculiare non occurrit, utpote cuivis Ano & bertæ ſatis notum, modò ea, quæ aſſumuntur *Decoctioni* apta exiſtant : quoad *compoſita*, id eſt, quæ ex diverſis ſpeciebus conflata ſunt , particulariter quædam non parvi momenti diſcutienda ſeſe hinc inde offerunt.

Imprimis autem ſolemnis apud Pharmacopæos movetur quæſtio, nimirum : quodnam ex *pluribus ſimplicibus* ad unum idemque *Decoctum* requiſitis prius aut poſterius coquendum exiſtat ? Cui quæſtioni vulgò reſpondetur,illud primò coquendùm, quod inter cætera difficilioris cocturæ eſt : unde ſecundum opinionem ſuam hanc ſibi tritam proponunt regulam ac tyronibus inculcant, nimirum : primò *Ligna & partes lignoſas*, dein *Radices*, tertiò *folia*, poſtea *fructus*(quos etiam quidam *Foliis* præponunt) quintò *Semina* , ſextò *Flores* Decoctioni committenda ; ſi nimirum hæc omnia eidem *Decocto* deſtinentur : verùm hâc regulâ multò omninò verius eſt laconicum illud, *nulla datur regula, quin detur exceptio :* hæc enim inſignem patitur exceptionem ; magna enim reperitur inter *Ligna* ſeu *partes lignoſas* diverſitas , nec exigua inter *Radices*, major inter *Folia* & *Herbas* , nec minor inter *Fructus* , maxima inter *Semina* & *Flores* , ac omnium ſimul inter ſe quoad ſubſtantiam *Decoctioni* magis vel minùs aptam varietas multò maxima : quæ certè diverſitas non parum regulæ hujus ſufficientiam infringit : ut itaque & ego mentem meam exponam , exiſtimo pro parvo quo polleo judicio , illud priùs coquendum quod tamquam *Baſis* & *fundamentum* præcipuas *toti compoſito* vires largiri debet,

debet, ac Medici præſcribentis intentum aſſequi, poſteà ſucceſſivè addendo, quæ intento non primariò, ſed ſecundariò ſatisfaciunt: hæc autem mea ſententia huic præſertim innititur Axiomati veriſſimo: ſcilicet *nullum recipiens recipit, vel recipere poteſt ultra modum ſuæ receptivitatis*; cum enim tot, ac tam varia ſæpè *pauco* plerumque, nec *ſufficienti liquori* ab Authoribus præſcripto *decoquenda* tradantur, neceſſum eſt, ut *Ingredientia* poſt *Decoctionem* etiamnum Virtutibus ſuis turgeſcant: ac proin omnibus, quos res hæc attingit, conſulo, ut ea è *rebus Decoctioni deſtinatis* (ſuppoſito, quod eidem apta, nec *Sulphureæ aut Volatilis Naturæ* exiſtant) primò liquori præſcripto immittant, ac cum eo aliquamdiu coqui ſinant, dum *virtus* eorum *potiſſima* liquori communicata ſit, ex quibus *præcipuam* liquori *Energiam* accedere cupimus, demum ſecundaria eidem decoquenda injiciantur; quod, ſi in aliquibus, certè in illis *Decoctis* locum obtinet, quæ *Purgantia* recipiunt, ubi ſæpè & Medici, & Ægri ſperato effectu fruſtrantur, quia *Decocta* nimiâ *Ingredientium* quantitate gravantur, quorum Viribus extrahendis *liquor* deſtinatus impar exiſtit: unde nonnumquam contingit, ut *Cathartica*, quæ debitè & ſolitariè *extracta quatuor, vel quinque Doſes* efficerent, aliquando vix, ac ne vix quidem alvum ſubducant.

In Decoctum Solutivum deſcriptum Paginâ 27.

EX generali hac *Animadverſione* facilè modò deducere eſt, an *libra una Decocti cordialis medicinæ* jam abundè ingredientibus ſuis mucillaginoſis imprægnati debitè elicere poſſit *Virtutes Purgantes* ex *foliorum Sennæ dragmis ſex* (ut ſileam *Semina Aniſi*, quæ Decoctionem ſine Virium jactura minimè ferunt) *pro Decocto ſolutivo*. In

In Decoctum Carminativum deſcriptum paginâ 28.

IN *Decocto Carminativo*, quam ineptè *ingredientia* illa *Vim ſuam Carminativam in particularum ſuarum tenuitate* reconditam habentia *Decoctioni* committantur, ex *ſuperioribus Animadverſionibus in Aquas ſtillatitias* ſatis colligere eſt: *Decoctio* enim directè & ex natura ſua *Deſtillationi* opponitur: ea quippe, quæ *Deſtillationibus* (de *ſimplicibus deſtillationibus* loquor) apta exiſtunt, Virtutes ſuas ac Qualitates per Alembicum communicent, oportet: quæ verò *Decoctioni*, vires integras poſt *Decoctionem* in reſiduo conſervent neceſſum eſt. Unde ignoro, quâ ſuadâ perſuaſus fuerit Author, ut ea, eiſdemque naturâ ſuâ analoga, quæ ante in variis *Aquis deſtillatis deſtillanda* decreverat, nunc *coquenda* præſcribat, *volatilia* conceptu ſuo facilè *figens*, & *fixa volatiliſans*. Nonne vides Lector benevole *particulas omnes Sulphureas Volatiles*, in quibus potiſſima *flatus diſcutiendi* & *aperiendi vis* ineſt, atque hic unicè expetuntur, tum *herbarum*, tum *Seminum* importuna hac *Coctione* fugari? Ego certè plus roboris ac virtutis eorum *Infuſionibus*, *Oleis deſtillatis* & *Spiritibus* tribuero quam *futili* tali *Decocto*.

In Decoctum Nephriticum deſcriptum paginâ 28. & 29.

IN *Decocto* hoc ſervato debito rerum coquendarum ordine, ſuadeo, ut tandem *ex Seminibus quatuor frigidis* optimè contuſis cum cæterorum Ingredentium *Decocto depurato* ad huc calido fiat *Emulſio*, alioquin in Decoctis *Oleum* eorum ſupernatans ea nauſeoſa reddit, aut ſi clarificatione illud pro maxima parte, vel omnino dematur, tum etiam *Qualitatibus* ejus orbantur. *In*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0102-8 DFG

In Decoctum Vulnerarium deſcriptum paginâ 29.

IN *Decocto Vulnerario Oculi Cancri* tenuiter pulveriſati *Vino Rhenano* aliquamdiu ſoli infundendi ſunt (cum illud *Acidi* particeps exiſtat) ſi ex iis aliquid *Decocto* communicari velis, in *aqua ſimplici* enim *decocti* nil ei tribuunt virium ſuarum; quamquam (ſi mihi res commiteretur) potius *Oculos Cancri* cum *Spermate Ceti*, (quod ſolutum alioquin *Decocto* ſupernatat) *à Decocto* hoc arcerem ac per ſe *in pulverem* redacta *vulneratis* aut *ulceratis* cum *Decocto* aliarum ſpecierum propinarem; *Oculi Cancri* enim & *Teſtacea* omnia, ſicut & alia plurima *Liquore Acido* ſoluta a priori natura ſua degenerant, uti etiam ipſe *Liquor Solvens*, ut proinde multum, nec ſine ratione dubitem, an præſcribentium intentum illa in parte aſſequi poſſint.

In hiſce *Animadverſionibus* peculiarem aliquam non feci mentionem, quænam generaliter, è *ſimplicibus Decoctioni* apta aut inepta exiſtant, cum id affatim ex *prægreſſis in Aquas ſtillatitias*, tum *ſequentibus in Syrupos Animadverſionibus*, tum iis, quæ in variis Decoctis annotavi, colligi, & hauriri poſſit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0103-4

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM TERTIAM TRACTANTEM

De Syrupis Mellitis & Looch.

Primò in Syrupos, è Succis compoſitos. Deſcriptos paginâ 30.

S*Yrupus Medicamentum eſt*, cujus forma adinventa ac deſtinata eſt, *ad ſimplicis vel ſimplicium*, è quibus componitur *virium Durationem* protrahendam, & *Ægrorum* palato *gratiam* conciliandam: verum, an primo & præcipuo intento (quod eſt *virium duratio*) in hocce *Medicamenti* genere ubique *in hoc Diſpenſatorio* Author ſatisfaciat? Nunc examinandum.

Inter *Syrupos ſimplices è Succis* non *acidis* compoſitos, tamquam prototypon & regula ſecundùm quam omnes cæteri conſimiles componi debeant, proponitur *Syrupus Hederæ terreſtris*, in quo certè intentum primum non aſſequitur, cum in *librarum trium* & præterpropter *unciarum octo evaporatione* ad *Syrupi perfectam conſiſtentiam requiſita*, non parum de *partibus Succi Volatilioribus & æthereis*, non exiguæ in incidendo & aperiendo efficaciæ (quibus eum abundare, quiſque *præparationi Syrupi* adſtans

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0104-9 DFG

152
ſtans odoretenus percipere poteſt) inutiliter deperdatur: hæc autem jactura, ut quodammodo reſarciatur, convenit, ut è *Succo præſcripto* deſtillationi expoſito abſtrahantur *unciæ viginti octo* circiter, & reliquus ovorum albumine clarificatus cum *Sacchari albi libris quatuor* coquatur ferè ad *Tabularum conſiſtentiam*, tandem addendo de *Aqua odorifera* prius abſtracta, quantum pro *debita Syrupi* ſine ulteriori coctione *conſiſtentia* acquirenda ſufficit.

Porrò ſuperiùs in *Animadverſionibus in Aquas è Succis deſtillatas* memini, non omnes **Plantarum** *vires in Succum expreſſum* ſemper transfundi, adeoque *eas* etiamnum à preſſione *reliquas virtute totius turgidas* relinqui, quod etiam in *hac Planta* experimur; quare, ut & hæc jactura reparetur, en modum juxta quem ex omnibus *Herbarum odore notabili præditarum Succis* dexterè præparari poſſunt *Syrupi efficaciſſimi totius qualitates referentes*.

℞ Igitur *Succi cujuſvis Herbæ notabili odore præditæ recenter expreſſi* libras ſex, quibus immerge *Herbarum ejuſdem ſpeciei recentium & floreſcentium*, (ſi fieri poſſit) conciſarum libras duas ac poſt diariam digeſtionem deſtillando prolice *Succi odoriferi* præterpropter *uncias viginti octo: Relictam* in fundo cucurbitæ *Herbam cum Succo* fortiter exprime, expreſſum albumine ovorum clarificatum cum *Sacchari albi libris quatuor coque* ad *Tabularum conſiſtentiam*, & deinde adde *Succum odoriferum* prius prolectum ea quantitate, ut *ſine coctione*, ſola diſſolutione fiat *Syrupus* juſtæ conſiſtentiæ vires ſui *ſimplicis* perfectè referens.

Syrupi è Succis Herbarum inodorarum ad mentem Authoris procedendo componi poſſunt, ita tamen ut *Herbæ recentes inciſæ* aliquamdiu *Succo* ante *Syrupi* confectionem infundantur ac incoquantur.

Syrupi è Succis acidis parentur ſecundum mentem Authoris, illud ſedulò hic & ubique notando in *acidorum & vinoſorum coctione* maximè cavendum, ne in *æreo* aut *auricalcino vaſe* ea peragatur, ſed tutò ſemper in vaſe *fictili vitreato*, (ut Author etiam innuere videtur in *Confectione Syrupi è Succo Citri*) contingit enim *Succos acidos*, ut & *Vinum* ac *Acetum* acrimoniâ ſuâ ex ſimilibus *Metallis* elicere qualitatem ſummopere Naturæ humanæ inimicam, ac pro *confortativo* qualitatem *emeticam* contrahere.

ANIMADVERSIONES
In Syrupos compoſitos.

Primò in Syrupum de Abſintio deſcriptum pag. 31.

SYrupus de Abſintio compoſitus* ſatis dexterè ab Authore præſcribitur; attamen unum mihi ſcrupulum movet, ſcilicet in *Syrupo Stommachico* vomitibus compeſcendis deſtinato nauſeoſum *Vini Phlegma* addi, unde conſultum duco loco *Vini ſimplicis* librarum trium & ſemis, *Vinum ad medias abſtractum* & *à Phlegmate nauſeoſo* ac *inutili liberum* ad uncias viginti unam ſubſtituere, hac enim methodo multò gratior efficietur *Syrupus* & efficacior.

In Syrupum de Althea deſcriptum pag. 31. & 32.

S*Yrupus* hic ad modum præſcriptum *vires ingredientium integras* in variis tamen affectibus deſideratas continens ullatenus præparari nequit: *Altheæ* enim *Radix* quacumque arte coquatur *Mucillaginem* præbet *viſcidiſſimam*, uti etiam *Folia Malvæ & Altheæ*, *Semina* autem *frigida majora* & *minora* præterquam quod *mucillaginoſa* ſint, etiam *oleoſa* reddunt *decocta Syrupis* conficiendis inha-

153
inhabilia: quippè *Mucillaginem totam & Oleoſitatem*, niſi clarificando ademeris, nil *Syrupo legitimo* parando utile obtinebis; quodſi autem prædictorum *Mucillagine*, *& Oleoſitate*, à quibus præcipui ipſi accedunt effectus, *Syrupus* privetur, quid rogo præter nomen obtinebit? meliùs itaque ægrorum rei conſultum iri arbitror, ſi ex hiſce & ſimilibus Ingredientibus non *Syrupi*, ſed *Decocta* neceſſitate poſtulante parentur, cui *Emulſiones* ex *Seminibus frigidis* cum Aqua aliqua appropriata (propter *Decocti* viſciditatem) factæ addi poſſunt, nec non *Syrupus* aliquis vel *Saccharum* pro edulcoratione immiſceri.

In Syrupum de Arthemiſia deſcriptum Paginâ 32. *&* 33.

PRopter eandem fere rationem ob quam ſuperius *in Syrupo de Abſynthio Vino crudo Vinum deſtillatum* ſubſtituendum ſuaſi, hic quoque *Vinum deſtillatum* aut ſaltem *Hydromel à vappa ſua*, quam in deſtillatione relinquit, *liberatum* accipiendum exiſtimo.

In Syrupum Capillorum Veneris deſcriptum Pag. 33

IN *Syrupo Capillorum Veneris* more præcedentis *Syrupi* præparationis procedendum arbitror, ſcilicet ex ingredientibus poſt ſufficientem digeſtionem proliciendo *Aquæ ſpirituoſioris* præterpropter *libram unam*, poſtea *Syrupo* ad conſiſtentiam craſſam excocto ſine ulteriori *ebullitione* (ut in aliis) reddendæ; *Saxifragia* enim, *Betonica & Pimpinella* in decoctione *particulas ſuas tenues & volatiles*, quibus non parva aperiendi & penetrandi vis ineſt, protinùs in auras diſpergunt.

Porro nota ab Authore circa *Capillos veneris*,

ſeu *Rutam murariam & Politricum*, quare tam ſeriò addita ſit, non capio: vel enim exiſtimat Author in *Herbarum illarum exſiccatione* perire aliquid de *partibus earum volatilioribus ſummè utilibus*, vel non: ſi prius (cui tamen ipſe odor refragatur) rectè notat. Verum, quin eo ſuppoſito *Herbas illas recentes in Syrupi* hujus & aliorum præparatione *Deſtillationi* exponit, ut *particulas illas fugaces in exſiccatione* alioquin *evanidas* captet? An forte credat aliquis *leni Exſiccatione* plus *particularum volatilium* deperdi, quam *violenta illa Coctione*, quâ pro Syrupi hujus conſiſtentia acquirenda *ſex aquæ libras* in auras evaporare neceſſum eſt? Si poſterius, ad quid igitur tam ſeria admonitio?

In Syrupum de Cichoreo compoſitum.

SYrupus hic, cum pauca recipiat *Ingredientia odorifera*, adeoque *Coctionem* ſatis diuturnam ſine virium notabili diſpendio ferant, juxta præſcriptum modum poteſt componi, ſi tamen hic eundem, quem in præcedentibus *Syrupis* modum, quis obſervaverit, melius is fecerit, propter *Radices Apii* & *fœniculi præſertim Aquam deſtillatam* odore ſuo imbuentes.

In Syrupum de Corticibus Citri deſcriptum paginâ 34.

DExterè ſatis *Syrupus hic* ab Authore præſcribitur; ſed ſedulò in ejus præparatione notandum ut *Oleum Citri liquori deſtillato ſupernatans* ab eo ſeparatum, & *pauco Saccharo* exceptum demum *Syrupo perfecto* immiſceatur.

Poſſet etiam hic *Syrupus* multò efficacior reddi, ſi *Aquæ ſpirituoſæ abſtractæ & ab Oleo ſuo ſeparatæ* adhuc *aliquot unciæ Corticum Citri exteriorum* minutim

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0108-3 DFG

nutim inciſorum vel radulâ comminutorum, ac nodulo incluſorum immergerentur, ac poſt ſufficientem digeſtionem ab *Eſſentificata Aqua ſpirituoſis* ac *balſamicis Corticum Citri partibus imbuta* ſeparentur.

In Syrupum de Eryſimo deſcriptum paginâ 55.

IN præparatione *Syrupi de Eryſimo*, nemo, ut exiſtimo, non videt, quantum Author erraverit *Species* hujus Compoſitionis *balſamicas*, & *fragrantes*, ut ſunt *Semen Aniſi*, *Flores Stœchados*, *Anthos*, *Violas* (ſi poſteriores recentes ſint) nec non pro parte ſaltem *Radices Helenii* Decoctioni tam diuturnæ, in qua plus, quam *ſex liquoris libræ* evaporare debent, ſubjiciendo *particulas earum tenues & volatiles* fugans: quod tamen ſummopere miror, cum in præcedentibus in *rerum balſamicarum* Virtutibus conſervandis adeo ſagax fuerit: itaque niſi ea perperam huic Compoſitioni adjecta velis modum ſequentem elige.

℞. *Species omnes & ſingulas* inciſas & contuſas, iiſque affunde *Succi Eryſimi* uncias octo, *aquæ communis* libras octo, ac poſt ſufficientem digeſtionem *deſtillando* abſtrahe *libram unam* vel paulò ampliùs. Reliqua poſt Deſtillationem ulteriùs coque adhuc ad *librarum trium conſumptionem*: porrò reliquum expreſſum & clarificatum cum *Sacchari albi* libris tribus & *Mellis deſpumati* libra una coque ad conſiſtentiam ſatis craſſam, ut cum *libra una Aquæ ſpirituoſæ aſſervatæ* redigatur in *Syrupum conſiſtentem.*

In Syrupum de Hyſopo deſcriptum pag. 35. & 36.

SYrupus de Hyſopo, an quoad inconcinnam ſuam Compoſitionem, an inconſideratam Ingredien-

dientium Conſarcinationem & Intentum, in quod dirigitur, deterior ſit, determinare non auſim:

Circa primum enim ea eſt *Ingredientium* plurimorum Natura, ac eorumdem copia, ut *Menſtruum*, in quo decocta fuerint, totum reddant *mucillaginoſum*, imo in *Mucillaginem* ipſam totum quantum eſt, convertant, quod proinde (ut adhuc *in Animadverſionibus in Syrupum de Althea* monſtravi) *Syrupo eleganti* parando prorſus ineptum exiſtit.

Aſt *Tragacantum*, *Semen Malvæ & Cydoneorum* linteo raro includi imperat Author, volens (ut puto) præcavere, ne *Decoctum* eorum *Mucagine* imbuatur. Quod, ſi intendat, cur *linteum rarum* & non *denſum* præcipit? Ac eo caſu, quid quæſo ex hiſce in *Decoctum* commigrabit, ſi *Mucillago*, quæ tota eorum eſt ſubſtantia, excludenda? Si autem nolit excludere, cur igitur *linteo* includenda?

Porrò aliis adhuc *Syrupus* hic conſtat Ingredientibus, è quibus vix quidquam melius huic *Syrupo* virium accedit, eis nimirum, quarum potiſſima *virtus aperitiva & inciſiva in particularum tenuitate & volatilitate* conſiſtens *Coctione diuturna* in auras propellitur, ut ſunt *Radices Apii*, *Fœniculi*, *Petrocelini*, & præcipuè *Hyſopus* à quo hic *Syrupus* nomen ſuum mutuatur, licet nil minùs quam vires ejus referat.

Quoad alterum verò, nempè *Ingredientium Congeſtionem ac intentum in quod Syrupus hic dirigitur*, mirabilis profectò & Divini Numinis particeps exiſteret, ſi effectus *Ingredientium Proprietatibus* reſponderet; ſi enim Naturam eorum ac qualitates paulò attentiùs conſideremus (ſuppoſito

ſito tamen, quod *Syrupus* Specierum omnium ſuarum vires poſſideat) *unus & idem ille Syrupus obſtruet & aperiet, incraſſabit & attenuabit, humectabit & ſiccabit, deterget, & obducet.*

Obſtruet quidem, *humectabit, incraſſabit & obducet* facultatibus *Jujubarum, Sebeſten, Paſſularum, Caricarum, Dactylorum, Hordei, Seminis Malvæ, Cydoneorum, & Gummi Tragacanti. Aperiet, attenuabit, deterget, & ſiccabit*, Qualitatibus, *Radicum Apii, Petrocelini*, item *Herbarum Hyſopi & Capillorum Veneris.*

Utrum autem hæc de eodem Syrupo, aut alio quodam Medicamento, liceat prædicare, ſatis ſuperque cuivis vel leviter inſtructo innoteſcet, dum conſiderat unum idemque eodem modò adhibitum & eodem tempore naturaliter non poſſe præſtare *effectus ſibi appoſitos aut contrarios.*

Cum igitur *Syrupi* hujus deſcriptio tantopere & Rationi, & Experientiæ contrarietur, auctor ſim, ut vel ex *Hyſopo recenti ſolo Syrupus* titulo ſuo reſpondens, aut ſaltem rejectis *Mucillaginoſis Syrupo* conficiendo ineptis, è reliquis præſcripto multò præſtantior paretur. Ne tamen quid diſcere aut ſcire avido deſit : en duas formulas, primam *ex Hyſopo ſolo*, alteram *ex Ingredientibus Syrupo conficiendo aptis* ſuperioris Deſcriptionis. Igitur

℞ *Aquæ ex Hyſopo floreſcente recente ſine additione aquæ Simplicis deſtillatæ* libram unam ſemis, (quia propter *Hyſopi* ſiccitatem *Succus* non facilè exprimitur, neque etiam totius qualitates ſatis refert) immerge.

Herbæ hyſopi floreſcentis recentis minutim conciſæ uncias decem, & poſt duarum vel trium dierum digeſtionem fiat colatura cum forti expreſſione, expreſſum per ſubſidentiam & filtrationem clarificatum

catum interim aſſervetur. Porrò:

℞ *Herbæ Hyſopi Siccæ* libram unam vel *recentis* libram unam ſemis, inciſa coque in ſufficienti quantitate *Aquæ fontanæ* ad libras tres, colaturam clarificatam cum *Sacchari albi* libris tribus coque ad conſiſtentiam fere Tabularum, tandem adde ſuperius aſſervatum ac *eſſentificatum liquorem*, ut ſola diſſolutione *Syrupus* juſtæ conſiſtentiæ emergat. vel

℞ *Radicum Petrocelini*,
Apii,
Fœniculi Recentium ana uncias tres,
Liqueritiæ unciam unam,
Paſſularum mandatarum uncias duas,
Herbarum hyſopi recentis & floreſcentis uncias ſex,
Capillorum veneris dragmas ſex, & poſt duorum vel trium dierum digeſtionem oppoſito capitello deſtillando abſtrahe *Liquoris Spirituoſioris* libram unam, dein reliquum adhuc coque ad remanentiam librarum trium, colatura clarificata cum *Sacchari albi* libris duabus ſemis coquatur ad *conſiſtentiam* præterpropter *Tabellarum*, cui adde priùs abſtractum & aſſervatum *liquorem ſpirituoſiorem*, & ſolâ diſſolutione confice *Syrupum*.

In Syrupum de Menta deſcriptum paginâ 36.

S*Yrupus* hic juxta præſcriptum modum præparari poteſt, verùm Stommacho multò amicabilior efficietur ac in operando efficacior, ſi loco *Vini crudi* propter nauſeoſum ejus phlegma, ſumatur *Vini ad medias deſtillati* libra una, augendo *Succum Cydoneorum* ad libras duas loco libræ unius ſemis, ulteriùs in locum *Mentæ ſiccæ* ſumatur *recens* ad libram unam, abſtrahendo poſtmodum liquorem ad *libram unam*. Ulteriùs ſecun-

dùm

dùm mentem Authoris procedendo: illud tamen amicè ſuadeo, quò tota *Specierum* virtus ſufficienter extrahatur, ut poſt primam colaturam & expreſſionem *Species aquâ affuſâ* denuo coquantur ad totalem virium extractionem, *colaturam* hanc ſecundam cum priori & *Saccharo* coquendo ad conſiſtentiam ab Authore indigitatam.

In Syrupum Myrtinum deſcriptum paginâ 37.

IN parando hoc *Syrupo*, quia *Ingredientibus adſtringentibus* vim ſuam in reſiduo recondentibus conſtat, peculiare non requiritur artificium.

In Syrupum Papaveris albi deſcriptum paginâ 37.

IN *Syrupo Papaveris albi* rectè monetur, ut caveant componentes, ne *mucillagineum* evadat *decoctum*, quandoquidem *Capita Papaveris* diutius cocta *Mucillaginem* præbere ſoleant: certè, ſi hujus ſui moniti memor exſtitiſſet Author in *Syrupis de Althea & Hyſopo* in tam enormes errores non incurriſſet: unum tamen in hujus *Syrupi præſcriptione* ſeſe offert, quod præterire non poſſum; nempe, quod *Saccharo communi albo Penidium* ſubſtituatur, quod, in quem finem fiat, non concipio; *Penidium* enim à *Saccharo communi albo* non differt, niſi penes ſolam ultra ordinariam *Sacchari* conſiſtentiam, cocturam & manualem aliquam operationem, quæ virtutem ejus non mutant, nec ullam efficaciam illi addunt, niſi quamdam friabilitatem, qua per ſe exhibitum facilè in ore liqueſcit; in liquore autem ſolutum nil præ reliquo *Saccharo* peculiare obtinet, niſi fortè per opificum ac nercatorum impoſturam *Amilo* adulteratum ſit, uo caſu penitùs *Syrupo* conficiendo ineptum exiit. Suadeo igitur, ut loco *Penidii Saccharum al-*

bum purum ſumatur, cum nihil in hoc *Syrupo* eſſiciat, quam pretium ejus adaugere.

In Syrupos Papaveris Erratici & Florum Camomillæ deſcriptos pag. 38.

S*Yrupus Papaveris erratici* juxta præſcriptum modum paretur, non tamen ſecundùm eam normam *Syrupum Florum Camomillæ* rectè quis paraverit, ut alioquin innuit Author, etenim *Vis eorum Carminativa in particularum tenuitate* conſiſtens, dum infuſio cum *Saccharo* ad conſiſtentiam coquitur, in auras diſſipatur, quas alioquin operæ pretium eſt conſervare. Unde, ſi quis *Syrupum* hunc exoptet, procedat in modum in *Syrupo de Hyſopo recenti* indigitatum.

In Syrupum de Pæonia deſcriptum paginâ 38.

QUam tetri errores in *Rerum Balſamicarum & Fragrantium Coctione* committantur, in præcedentibus ſatis monſtravi, ac præſertim in *Animadverſione in Decoctum carminativum*, ubi eadem & ſimilia, qualia ante *Deſtillationibus* deſtinaverat Author, *Decoctionibus* adſcribit. Hic non diſſimilia occurrunt, imo manifeſtiora Naturæ rerum ignorantiæ documenta, *Radices* enim *Pæoniæ*, ejuſdem *Semina & Viſcus Quercinus*, quæ in *Aqua Epileptica & Balſamo Embrionum* Naturæ injurius *Deſtillationi* minùs rectè commiſerat, nunc jure merito *decoquenda* præſcribit; quæ verò in *prænominatis Aquis* dexterè *deſtillanda* judicavit, utpote *Flores Roſmarini*, *Stœchados*, *Lavendulæ*, *Liliorum Convallium*, *Tiliæ &c.* hic finiſtrè ſatis ad *Decoctiones* ablegat, tacitus nimirum ſui argutor, cum (ut ante apertè demonſtravi) *Decoctio & Deſtillatio* ex Natura rei inter ſe repugnent, itaque, ne

ne diutius erroribus hiſce recenſendis ac refellendis inhæream ad aliam concinniorem *Syrupi de Pœonia* præparationem feſtino, quæ talis eſt. 157

℞ *Species omnes inciſas & contuſas*, affunde *aquæ communis* libras ſex, & poſt trium vel quatuor dierum digeſtionem abſtrahatur deſtillando *Spirituoſi Liquoris* circiter *libra una*, quâ interim aſſervatâ, reſiduum ulterius coque ad remanentiam *librarum trium*, quas cum albumine ovorum probè clarificatas coque cum *Sacchari albiſſimi* libris duabus ad *Tabellarum* penè conſiſtentiam, addendo tandem *Liquorem Spirituoſum*, ut ſola *Sacchari* ſolutione fiat *Syrupus*.

In Syrupum de quinque Radicibus deſcriptum pagina 38. 39.

IN *Syrupo* hoc, cum *Radices illæ partibus Volatilibus* non minimæ in incidendo & reſerando efficaciæ gaudeant, viâ *Deſtillationis & abſtractionis Partium Volatiliorum*, addito etiam ante Deſtillationem *Vini Aceto*, procedendum erit.

In Syrupum de Roſis Siccis deſcriptum pagina 39.

IN *Syrupo de Roſis ſiccis* quia ſolummodò *vis adſtringens in parte earumdem terreſtriore, in reſiduo Decocto* ſuperſtite conſiſtens, expetitur, modo ab Authore præſcripto *Coctione* componatur.

In Syrupum de Scordio deſcriptum pagina 39.

PRæſens *Syrupus* quamquam pauca ingredientia obtineat, quorum *Odor notabilis* emicet, quia tamen *Scordium* ipſum ut *Baſis & fundamentum* ejuſdem *particulas quaſdam tenues & aerias* poſſidet, non parum hujus *Plantæ Vim Diaphoreticam & Antiloimicam* promoventes, quæ

alioquin in *Decoctione* exhalant, convenientiùs ejus præparatio viâ *Deſtillationis* inſtituetur.

In Syrupum de Symphyto deſcriptum paginâ 40.

QUia *Vis Adſtringens Agglutinans, & Conſolidans* in hoc *Syrupo* unicè expetitur, eaque in reſiduo conſtanter remanet, ſola *Decoctione* paretur.

In Syrupum de Stœchade deſcriptum paginâ 40.

IN hoc *Syrupo* ſumatur *Hydromel deſtillatum* propter *vappam nauſeoſam* alioquin *Syrupo* inhærentem & ulterius procedatur modo allegato.

In Syrupum Violaceum deſcriptum paginâ 41.

S*Yrupus hic*, ut efficacior exiſtat ſaltem duas requirit infuſiones.

In Syrupum de Cichoreo cum Rheo deſcriptum paginâ 41.

IN præparatione hujus *Syrupi* præcipua ars in eo conſiſtit, ut debitè *Virtus tota Purgans* ex *Rhabarbaro* eliciatur, in quo ſat dexterè ab Authore proceditur, licet multò melius *Rheum* extractum iri exiſtimem, ſi *Decoctum Syrupi de Cichoreo* ante infuſionem & Decoctionem *Rhei* ſit optimè clarificatum.

Nota etiam *Saccharum* cum ultima infuſione ad Taballarum conſiſtentiam coquendum, ſi cum *infuſione prima* ſolâ diſſolutione (ut præcipit Author) *Syrupum conſiſtentem* conſtituere debeat.

In Syrupum Florum Perſicorum deſcriptum paginâ 42.

IN hoc *Syrupo* quia *Vis Purgans* tantum deſideratur, juxta præſcriptum modum confici poteſt.

Verùm

Verumtamen hic *tres*, aut ſaltem *Quatuor Florum Infuſiones* intento ſatisfacere mihi videntur, cum poſt eas *liquorem* ulterius extrahendo imparem judicem; utpote jam ſatis *præcedentibus Florum Infuſionibus* imprægnatum: attamen, ſi quis *Syrupum* hunc *majori Virtute Purgante* imbuere, ac in eo *Odoris Fragrantiam* non ingratam conſervare velit, procedat in hunc modum.

℞ *Florum Perſicorum tantum non apertorum leviter contuſorum* libras tres, infunde calidè in *Aquæ fontanæ* libris quatuor per horas viginti quatuor, dein deſtillando abſtrahe *libras tres*, quibus denuo infunde *Florum leviter contuſorum* libras duas, & poſt viginti quatuor horarum digeſtionem prolice *Aquæ Fragrantis libras duas*, priorem *libram unam* ſeparatim colligendo: reliquos verò ab utraque deſtillatione *Flores* fortiter expreſſos denuò cum *Aquæ fontanæ* libris quatuor vel quinque coque leniter, ut quod *Virium Purgantium* in eis reſtitit, ulterius eliciatur.

Porrò colaturas omnes albumine ovorum clarificatas cum *Sacchari albi* libris tribus coque ad craſſiſſimam *Mellis* conſiſtentiam, cui demum tantum de *Aqua Spirituoſa & fragranti* prius collecta uniatur, quantum ad perfectam *Syrupi* conſiſtentiam ſine *Coctione* adipiſcendam ſufficit. Hâc viâ obtinebis *Syrupum* integra *Florum Perſicorum Virtute Cathartica*, nec non *Odore fragrante pergrato* præditum.

In Syrupum de Polipodio deſcriptum pagina 42.

SI quis attentius paulò quam per tranſennam *Syrupi hujus ingredientia & Proceſſus* conſiderarit, facilè deprehendet eum cæteris hinc inde eventillatis in erroribus minimè cedere debere:

etenim, ſi in mentem revocemus veriſſimum illud ſaniorum Philoſophorum Axioma, nempe, *recipiens aliquod non recipere ultra modum ſuæ receptivitatis*, legitimè concludemus, ineptè & parum circumſpectè *Decocto craſſo* jamtum *Polipodii extracto* turgido Authorem *novam Specierum* molitum fuiſſe *Extractionem*: ex quo ulteriùs rectè infertur, *Menſtruum* illud jam *trium diverſarum trina Coctione* ſat, ſuperque incraſſatum *Foliorum Sennæ unciis ſex* (utpote præcipuis, quæ huic *Syrupo Virtutem Catharticam* imprimere debent) extrahendis omninò impar exiſtere, adeoque præcipuis viribus *Syrupum* hunc defraudari. Nec levior error in *Radicum Acori* & *Seminum Fœniculi* diuturna illa ac præpoſtera *Coctione* commiſſus eſt, utpote quâ (ſive *Aromatiſationis*, ſive *correctionis* gratiâ addita ſint) *Virtus eorum Stommachica* & *Carminativa*, *particularum tenuium* & *Aromaticarum* fugatione penitus deperditur. Verùm, ne diutius erroribus hiſce eventillandis immorer, ad *genuinam Syrupi hujus præparationem* progredior, quæ talis eſt.

℞ *Radicum Acori veri* unciam unam,
Seminum fœniculi dragmas undecim, inciſis & contuſis affunde.
Infuſionis Roſarum ſolutivarum libram unam ſemis,
Succorum depuratorum Boraginis,
Fumariæ,
Lupuli ana libram ſemis

Et poſt digeſtionem viginti quatuor horarum in loco calido deſtillando collige *Liquoris Odoriferi libram unam*, quæ interim ſervetur, ſicut & *ſucci* cum *Radicibus* & *Seminibus* à deſtillatione reſiduis. Tum

℞ *Radicum recentium Polipodii quercini* libram unam,

Mirabolanorum citrinorum,
Chebulorum,
Indorum ana unciam unam & ſemis, inciſa & contuſa coque in libris ſex *aquæ fontanæ* ad medias, deinde reliquis a *Coctione*, ut etiam à prima *Deſtillatione*, expreſſione forti à *Menſtruis ſuis* ſeparatis affunde denuò quantitatem ſufficientem *aquœ fontanæ*, ut, quod reliquum eſt Virium Coctione reiterata extrahatur.

Porrò *colaturas* omnes tum *Succorum*, tum *Decoctorum* albumine ovorum clarificatas iteratis vicibus affunde & (quantum fieri poteſt) cum iis extrahe *Foliorum Sennæ* uncias ſex, quæ poſtremò etiam cum *Aquæ ſimplicis* ſufficiente quantitate infundantur, coquantur, & extrahantur, donec *Vi Cathartica Folia Sennæ* totaliter ſint exuta.

Demum *Decoctiones omnes & Infuſiones* lentè evaporare ſine ad remanentiam *trium librarum*, quas ovorum albumine clarificatas cum *Sacchari albi* libris tribus coque ad conſiſtentiam craſſam, ut ſine ulteriori coctione cum *Aqua odorifera* ante aſſervata coeat in *Syrupum* debitæ conſiſtentiæ.

In Syrupum de Rhamno Cathartico deſcriptum Paginâ 43.

SYrupus de Rhamno Cathartico præſcripto modo optimè paratur; *Aromatiſatione* nimirum per *Eleoſaccharum Aromaticum* inſtitutâ, quod etiam in præcedenti *Syrupo de Polipodio* fieri poſſet, ſi *Oleum Acori ſeu Calami aromatici* ad manum ſit.

In Syrupum Regis ſolutivum deſcriptum pag. 43.

IN *Syrupo Regis ſolutivo* quam imprudenter ac inutiliter Correctivi loco *Aqua Fœniculi Foliorum Sennæ* Extractioni accommodetur, ex eo colligere

ligere licet, quod ne veſtigium quidem illius poſt decoctum ad *debitam conſiſtentiam Syrupum* ſuperſit, totâ in auras evaneſcente; cum enim *Sacchari libris duabus Liquoris unciæ quatuordecim vel quindecim* ſufficiant, ut *debitam ſyrupi conſiſtentiam* adipiſcaris, neceſſum eſt, ut totus, qui prædictis *unciis* ſupereſt *liquor* inter coquendum evaporet: cum autem *Aqua Fœniculi* (utpotè ſubtiliores & leviores *Aquæ & Fœniculi* atomi junctæ) ſpirituoſior ſit *Infuſionibus Violarum & Roſarum*, ſequitur eam velocitate fugæ *Aquam Infuſionum* anteverſuram: adeoque, quid *hæc Aqua* corrigat, aut in quem finem *Aquæ communi* præferatur, judicet, cui mens ſana contigit. Taceo hic *pauciores Infuſiones* ſufficere, ut *Menſtruum aqueum* ad ſatietatem *Violarum & Roſarum virtutibus* imbuatur.

In Syrupum Roſarum ſolutivum deſcriptum paginâ 44.

IN hoc *Syrupo* cum *Vis purgans* præcipuè expetatur, poterit edocta ab Authore methodo inſtitui ejus præparatio, verùm multò compendioſiùs, & minori *Roſarum* diſpendio, cum *duodecim Aquæ libræ Roſarum libris viginti ſeptem* extrahendis impares exiſtant, neque hæ in illas virtutes ſuas integrè transfundere poſſint: ſemel enim *Aquæ Qualitatibus Roſarum imprægnatæ* ampliùs poſtmodum nihil accedit, quam *ſuccus* eorum vehementi torcularis motu expreſſus juxtà Axioma tritum aliquoties allegatum, *nihil poteſt recipere ultra modum ſuæ receptivitatis*. Undè *quatuor*, vel ad ſummum *quinque Roſarum Infuſiones Syrupo* huic efficaciter parando ſufficient, qui neque minores neque pauciores vires obtinebit, quam, ſi ex *vigeſies reiteratis Infuſionibus* conſtaret. Nec Autho-

 160
thor ipſe hiſce diſſentire videtur, dum *in Syrupo Florum Perſicorum*, ut *Aquâ affuſâ* eorumdem viribus abundè imprægnetur, *quinque* tantum *Infuſiones* imperat, pariter in *præcedenti Syrupo Tincturam Violarum ex quinque Infuſionibus* præſcribit, *in Syrupo Florum Papaveris erratici*, *Camomillæ*, &c. *tertiò* tantùm reiterandam præcipit, quod ea quantitate *Aquam* eorum *Qualitatibus* ſaturari arbitretur; cur enim obſecro, ut *Menſtruum aqueum* ad ſatietatem impleatur, plus *Roſarum* requireretur, quam *Florum Perſicorum*, *Violarum*, *Papaveris erratici &c.*

Hæc ſunt, quæ circa legitimam *Syruporum* in *Diſpenſatorio Bruxellenſi ultimò edito contentorum præparationem* monenda duxi, nunc progredior ad paucos alios Lovanii etiamnum uſitatos ac ſecundùm Pharmacopœam veterem Bruxellenſium componi ſolitos, quorum, ne in erroribus eorum demonſtrandis longior ſim, breviter dextram componendi normam ſubjungo, paucis in *Syrupum Alkermes* Lovanii per ſe uſitatum præmiſſis.

ANIMADVERSIONES
In Syrupos Lovanii uſitatos. Et primò in Syrupum Alkermes.

COmmendari ſolet *Syrupus Alkermes Monſpelienſium*, qui, an genuinus ſit, & ſecundùm Artis & veræ Rationis regulas decenter præparatus, breviter inquiramus *Monſpelienſium Deſcriptionem* examinando, quæ talis eſt ad *Confectionem Alkermes* requiſita.

„ ℞. *Succi Pomorum dulcium*, &
„ *Aquæ Roſarum* (in quibus *Setæ* libra una fuerit
„ per diem naturalem infuſa & multùm expreſſa)
„ ana libram unam ſemis, *Succi*

„ *Succi Granorum Kermes* libram unam,
„ *Sacchari ſolidi* libras duas, coque ad juſtam
„ conſiſtentiam.

Juxtà quam Deſcriptionem non parvum *Syrupo* huic pretium accedit à *Seta* ſeu *Serico*, ex quo, neſcio quas ſibi *Vires Cordiales* ſpondeant, quamquam omninò perperam: etenim vel *crudum* vel *præparatum* adhibent: ſi *crudum*, illud ob *Vermes* aut *Papiliones* in eis putrefactos (quod *fœtor* in ejus præparatione ſatis prodit) non exigua *Malignitate* infectum eſt, adeoque *Qualitates cordi inimicas* potiùs, quam *Amicas* poſſidet: ſi *præparatum* ſumatur, illud quaſcumque vires, antequam *Sericariorum* manus ſubeat obtinuerit, in frequentibus *lotionibus*, *coctionibus*, & *præparationibus* jam dudum amiſit, adeoque *vires aliquas à Serico Succo Pomorum & Aquæ Roſarum incocto* fruſtra quis præſtoletur. Quam ſuperfluè etiam & inconſideratè *Aqua Roſarum* ad hanc Compoſitionem deſtinetur, ex *Animadverſionibus in Syrupum Regis ſolutivum* ſatis colligere eſt. Unde patet, quam facilè aliena fide & peregrino nomine contenti nobis imponi ſinamus. Suaſerim itaque, ſi *Syrupus ex puro puto Granorum Succo* obtineri non poſſit, ut poſt habitis iis, quæ alienâ fide ad nos deferuntur, ac propter fraudulentam Mercatorum avaritiam ſæpè ſæpiùs adulterantur, ipſis noſtris manibus elaboremus *Syrupum præſtantem & elegantem* cui fidere poſſimus in hunc modum.

℞ *Granorum Kermes* uncias tres. Quaſſatis affunde

Succi Pomorum curtipendulorum optimè depurati libras duas, & poſt vigintiquatuor horarum in loco calido digeſtionem & aliquot ebullitiones fiat colatura, reliquis *Granis* affundendo iterum *Succi Pomo-*

Pomorum ut priùs libras duas, denuoque dige- 161
ſtione & aliquali coctione peractâ coletur, & utraque *colatura* cum *Sacchari albi* libris duabus coquatur in *Syrupum* juſtæ conſiſtentiæ, cui penè refrigerato immiſce optimè

Olei Corticum Citri deſtillati dragmam ſemis,

Aurantiorum ſcrupulum unum

Sacchari pulveriſati unciâ unâ prius excepta: vel exprimatur mediante parvo quodam torculari *Succus Oleaginoſus* ex *Flavedinis Corticum Citri recentium* unciis duabus & *Corticum Aurantiorum* uncia una, qui *Saccharo* abſorptus per minima ſub finem *Syrupo pro Aromatiſatione* commiſcendus vel

℞ *Corticum Citri extimorum recentium* uncias duas.

Aurantiorum extimorum recentium unciam unam, minutim inciſis & Cucurbitæ humili immiſſis affunde *Aquæ Roſarum fragrantis* uncias quinque, & poſt aliquot horarum digeſtionem inſtituatur deſtillatio in Balneo Vaporoſo ad *ſiccitatem Corticum*. *Liquor Spirituoſus & fragrans* interim cautè cuſtodiatur. Dein in *Tinctura Granorum Kermes cum Succo Pomorum* elicienda procedatur ut ſupra: poſt ſecundam *Granorum Extractionem* in duabus ultimis libris coquendo aliquantulum *reſiduum Corticum* à deſtillatione relictum, ac demùm colaturas omnes cum *Sacchari albiſſimi* libris duabus coquendo ad ſatis craſſam conſiſtentiam, quæ *Aquam fragrantem & ſpirituoſam* ante prolectam ſine ulteriori coctione, ſervato *Syrupi* debito tenore, admittere poſſit.

Hiſce quidem modis *Syrupus* acquiretur, eo *Monſpelienſium* multò præſtantior ac minori inſuper pretio venalis, quod pretium alioquin ſæpe in cauſa eſt, cur iis, quibus res eſt anguſta domi

Syrupus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0123-5
DFG

Syrupus hiç commodè præſcribi nequeat.

Syrupus de Betonica compoſitus.

℞ *Herbarum Betonicæ floreſcentis recentis* manipulos tres,
Majoranæ recentis manip. duos,
Thymi,
Roſarum rubrarum ana *recentium* manip.unum,
Florum Violarum,
Salviæ recentium,
Stœcados ana manipulum ſemis,
Seminum Aniſi,
Fæniculi,
Ameos ana unciam ſemis,
Radicum Pæoniæ,
Polipodii Quercini,
Fœniculi ana dragmas quinque.

Inciſis & contuſis affunde in Cucurbita *Succi Betonicæ recenter expreſſi* libras duas, appoſitoque Capitello, & juncturis optimè clauſis fiat Deſtillatio *Succi* ad totalem Specierum ſiccitatem: *Aqua* interim prolecta ſervetur ac *Speciebus reliquis* affunde *Aquæ communis* libras tres vel quatuor, coque ad remanentiam præterpropter librarum duarum, quæ probè colatæ & clarificatæ cum *Sacchari albi* libris quatuor coquantur ad conſiſtentiam *Tabellarum*, cui demum adde *Aquam ſpirituoſam* prius prolectam, ac ſola diſſolutione confice *Syrupum* præſtantiſſimum.

Syrupus Botrios.

℞ *Herbarum Botrios*,
Eryſimi,
Urticæ ana *recentium* manip.tres,
Tuſſilaginis recentis manipulos duos
inciſis affunde *Succi*

Succi Raporum clauſo vaſe in furno coctorum libram unam, 162

Aquæ communis libras ſex, in Vaſe Vitreo fiat Deſtillatio *liquoris odoriferi* ad libram ſemis præterpropter, quâ interim ſervatâ reliquum ulterius coque ad remanentiam librarum trium, quas ab *Herbis* forti expreſſione liberatas ac clarificatas coque cum *Sacchari albi* libris tribus ad craſſam *Syrupi* conſiſtentiam, quæ *aſſervatam Aquam odoram* ſine ulteriori Coctione excipere poſſit.

Syrupus de Liqueritia.

℞ *Liqueritiæ raſæ* uncias duas,
Adianti albi unciam unam,
Hyſopi floreſcentis & recentis unciam unam.
Inciſis & contuſis affunde
Aquæ Roſarum libram ſemis,
Pluviæ libras quatuor ac in cucurbita alembico munita deſtillando elice *Aquæ fragrantioris* uncias circiter quinque, quibus collectis reliquum ulterius coque ad remanentiam librarum duarum, quas factâ expreſſione & clarificatione coque cum *Sacchari albiſſimi* unciis ſedecim, *Mellis optimi* unciis octo ad craſſam *Syrupi* ſeu potius *Mellis* conſiſtentiam, ultimò addendo ſine *Coctione* quod *deſtillatione* prolectum fuit.

Syrupus Jujubinus.

SYrupus hic, quia totus ex *Mucillaginoſis* & ipſa *Mucillagine* præſcribitur, ac proinde ejus Compoſitio impoſſibilis exiſtit, ſi tota ingredientium virtus ei imprimi debeat, nec inſtituti mei ratio poſtulet quidquam circa *Ingredientia* immutare, ideo miſſum hunc facio *Decoctis* eorum potius (ſi opus habuero) uſurus. *Syru-*

Syrupus de Portulaca.

℞ *Succi Portulacæ* libram unam,
Bellidis,
Fragariæ,
Lactucæ,
Plantaginis,
Semper vivi medii,
Violariæ clarificatorum ana uncias duas,
Sacchari albiſſimi libras duas, coque lento igne in *Syrupum* juſtæ conſiſtentiæ.

Syrupus de Praſſio.

℞ *Praſſii albi recentis* uncias duas,
Radicum Ireos Florentinæ unciam unam,
Glycyrrhiſæ raſæ
Apii,
Polipodii quercini,
Fœniculi ana recentium unciam ſemis,
Herbarum Adianti albi,
Origani,
Hyſopi,
Calamintæ,
Thymi,
Scabioſæ,
Satureiæ,
Tuſſilaginis ana recentium unciam unam & ſemis,
Seminum Aniſi,
Bombacis ana dragmas tres,
Paſſularum exacinatarum uncias duas,
Caricarum pinguium numero decem.

Inciſa & contuſa immitte Cucurbitæ, eiſque affunde *Hydromelitis* ante à *nauſeoſa Vappâ* per De-

ſtillationem liberati libras octo ac ulterius in *De-ſtillatione*, *Liquoris ſpirituoſi prolectione*, & colaturæ cum *Sacchari albi* & *Mellis deſpumati* ana libris duabus ad conſiſtentiam coctione procedatur, ut in præcedentibus *Syrupis* inſinuatum eſt.

Syrupus Emeticus Angeli Salæ.

Circa *ſyrupum* hunc, quia particulariter quædam annotanda occurrunt, integram, ut ſe habet, Authoris Decriptionem huc tranſtuli.

„ ℞. *Vitri Antimonii ſubtiliſſimè pulveriſati* un-
„ ciam unam,
„ *Cinamomi electi*,
„ *Zedoariæ* ana dragmas duas,
„ *Santali rubri* unciam ſemis,
„ *Croci orientalis* dragmam ſemis,
„ *Aceti Roſati* uncias viginti,
„ *Seminis Angelicæ* dragmas duas,
„ Infundantur omnia in B. M. per horas viginti
„ quatuor, poſtea Balneo refrigerato colentur di-
„ ligentiſſimè & filtrentur per chartam bibulam:
„ deinde tantum *Sacchari cum AquaRoſarum* ſol-
„ vatur, quantum eſt pondus *prædicti Liquoris*:
„ Coquatur denique *Saccharum* ad conſiſtentiam
„ Tabularum Manus Chriſti, & cum *prædicto Li-*
„ *quore miſceatur*. Fiat *Syrupus* ſecundum artem.

Circa *hanc Compoſitionem* igitur duo præcipuè committuntur errores paululum hic eventillandi. Imprimis malè & fruſtra inſtituitur *Vitri Antimonii Correctio additione Rerum Aromaticarum*, utpote quâ directè *vis ejus Emetica* non infringitur (quod à ſolo *Nitro* expectandum) nec aliud fit, quam quod Ventriculum corroborent, & adverſus *Medicamenti* vehementiam muniant operationi ejus reluctando, quod, dum fit, & *Naturæ* ad noxii hu-
moris

moris expulſionem inſurgentis, & *Medicamenti* auxiliatricis in eundem cum *Natura* effectum conſpirantis conamen evertunt, quod Inventionis *Medicamenti* intento planè contrarium exiſtit. Etenim ſi *Syrupus hic Emeticus* ſecundum nominis etymologiam *excrementitiorum humorum ſaburram* è Ventriculo & partibus vicinis per *Emeſim* educere debet, cur id *Medicamentis operationi ejus contrariis* debet impediri, hinc ad Excretionem ſtimulum Naturæ addendo, illinc quaſi compedibus eam conſtrictam tenendo, ne etiam id, quod intenditur, queat eliminari? quo, quid ſtolidius, quid amethodum magis? cum, ſi *laxatas Ventriculi & partium vicinarum tunicas roborare* animus eſt, commodiùs & conſultiùs id fiat, ubi Ventriculus *peccantium humorum cloacâ* expurgatus eſt, quam in ipſo actu, dum eâdem ipſum cloacâ expurgare nitimur.

Aliud, quod moneam eſt, *anatinam illam Sacchari cum Liquore proportionem ad Syrupum* exiis ſine Coctione (quod Author innuit) conficiendum, nullatenùs ſufficere, ut proinde neceſſum ſit *aliquam* adhuc *Liquoris portionem* coquendo exhalare, ut cum *Saccharo in Syrupum debitæ conſiſtentiæ* concreſcat: quo caſu etiam ſimul plurimùm *particularum aromaticarum* pro *Correctione* additarum in auras avolabit.

Si autèm quis prædictis non obſtantibus *Syrupi hujus Aromatiſationem* ſtrictè expeteret, is ſequatur modum in *Syruporum diverſorum Animadverſionibus* edoctum de *Rerum Aromaticarum prævia Deſtillatione*, vel in *præcedenti Syrupo de Rhamno Cathartico* inſinuatum, nimirum *Aromatum Olea*, quæ eorum *quinta ſunt Eſſentia Syrupo* jam perfecto proportione debita priùs *Saccharo pulveriſato* excepta addendo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0128-4
DFG

Tandem ad quid illa *Aquæ Roſarum Saccharo* diſſolvendo affuſio, ſeu potius profuſio (utpote quæ iterum ad ultimam guttam ab eo evaporare debet) conducat, æquo lectori judicandum relinquo.

ANIMADVERSIONES

In Mellita & Looch deſcripta pag. 44. & ſequentibus.

IN ipſo *animadverſionum* harum limine, quædam de *Melle ſimplici* hactenus à paucis benè perſpecta, annotanda ſunt: pro quo operæ pretium futurum exiſtimo ejus *Genealogiam* brevibus perſcrutari, unde facile erit eruere, quomodo *uſibus Medicis* debeat accommodari, quoſve effectus ex ejus debito uſu nobis polliceri poſſimus.

Itaque notum eſt omnibus, præcipuè iis, qui alveariorum curam gerunt, quomodo *irrequieta & ſedula* ſemper *Apicula* Vere ultimo & Æſtatis initio cælo ſereno undique circumvolitans ex optimis quibuſque *Floribus & Vegetabilibus Subſtantiam Balſamicam* exſugat, in *Mel* velut *quintam eorum Eſſentiam* digerat, in alveario diſtinctis miro artificio ſcriniis recondat, ac denique in uſus noſtros, non ſibi mellificans, ulteriùs elaboret.

Porrò *Nectar* hoc & *Ambroſia balſamicam tenacitatem* ac *naturalem durabilitatem* in multos annos protrahendam nacta *inſignes in nutriendo, laxando, abſtergendo, conſolidando*, reliquaque ei commiſſa *à corruptione vindicando virtutes* poſſidet, quæ ſecundùm diverſa Regionum Climata ac ſitus earum differentias in Qualitatibus enumeratis magis vel minus intenduntur.

Etenim in iis Galliæ Provinciis, quæ *Plantis* abundant *Aromaticis, ut Thymo, Roſmarino, La-*

vendula, *Croco &c. Mel mirè fragrans ac odorem aromaticum referens*, *guſtu & aſpectu pergratum* colligitur: in nonnullis autem aliis, quæ *Plantis Floribuſve* ſcatent *amaris aut tetri odoris*, *ut Abſyntio*, *Tanaceto*, *&c. Mel* ſimiliter *odore* ac *guſtu amaro* & *tetro plantas*, è quibus collectum fuit, æmulatur. Nec parum eam *Mellis* varietatem intendit varia annorum temperies: annis enim præter modum humidis *Mel* viliſſimum colligitur, ubi è contra ii quò amplius in ſiccitate intenduntur (modo propter eam non ſterileſcant) eò *Mel* præſtantius exiſtit. Hinc patet, non parvum in *Mellis delectu* occurrere diſcrimen, quod etiam in hiſce noſtris Regionibus obvium eſt, non ſolùm reſpectu aſpectûs Solaris, ſed etiam ſecundum varias locorum aut Hortorum *Plantis vel Floribus* unius ſive alterius ſpeciei obſitorum, in quibus *Alvearia* diſponuntur, differentias, ex quibus omnibus infe-ras, non minus *Mel*, quam *Vegetabilia eorumque partes æthereis*, *volatilibus ac balſamicis particulis* conſtare.

Porrò non minimam etiam inter *Mella* diverſitatem affert colligendi modus & dexteritas, quippe quæ *Durabilitatem*, *conſiſtentiam*, *Colorem*, *Saporem cæteraſque qualitates* eorum plurimum variant: unde contingit defectu ſufficientis dexteritatis, ut utplurimum nobis pro *Nectare & Ambroſia effœta & nauſeoſa liquamina* divendantur.

Ruricolis enim pleriſque in more poſitum eſt, ut, dum *Apiculis Favos Mellis* ſubſtrahunt, ipſis *Animalculis* ſtupidiores, ea quæ Naturæ ductu hæc ſcriniis ſuis & Alveolis diſtinxerunt, *Mel* nimirum, *Propolim & Ceram* cum *ipſis Apibus vel vivis*, *vel mortuis*, imo quandoque *Vermibus*, (quæ in Alveolis nonnumquam generantur) commi-

xtis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0130-3 DFG

xtis in unum coniiciant cumulum, liquent, affuſo liquore diluant, coquant, exprimant, omnia ſusque deque vertendo & confundendo, ita ut nullo artificio ea poſtmodum verè & integrè ſegregentur, quod tamen efficere ſeſe arbitrantur ii, qui *Mel affuſâ Aquâ* violentioribus coctionibus ſubjiciendo identidem *deſpumant*, nil interim aliud obtinentes, quam, quod *partes Mellis balſamicas & æthereas* fugent ac in auras ſubliment, heterogenea interim, *Ceram* nimirum & *Propolim* intimius permiſcentes, nobiſque pro *Melle vappam* relinquentes: & eam quidem *Deſpumationem*, ſi quoad *ſpuma* ſeſe manifeſtat continuarent, *totam Mellis ſubſtantiam in bullulas* ac *nihilum* tandem abituram experirentur. Hinc patet, quam firmo ſtet talo præſcripta ab Authore *Mellis Deſpumatio*, & quam efficax nobis *Mel* conficiamus, ut proinde nullus ambigam, quin *Mel purum*, *viribus integris*, *legitimè à Cerâ & Propoli liberatum*, nec *partibus tenuibus ac æthereis exutum*, *Mel vel centies deſpumatum Qualitatibus ſuis nutritivis*, *detergentibus*, *conſolidantibus*, &c. Multis paraſangis ſuperet. Ut autem *Mel* tale obtineamus quod à *partibus craſſioribus & heterogeneis* ſeparatum, nec tamen *tenuioribus & balſamicis* ejus *atomis* caſtratum prærogativas omnes ac dotes ei attributas integrè poſſideat, procedatur in modum ſequentem.

Accipe *Mellis favos cum Melle* in iis contento recens ex Alveario extractos & à *partibus craſſioribus* ſeparatos, immitte linteo capaci non nimis raro vel denſo, ac adductis ad ſeſe angulis ſuſpende linteum ſuppoſitâ pelvi ſiccâ & nitidâ non tamen cupreâ, niſi ſtanno obductâ in loco tepido, in eoque detineatur donec *Mel* penè omne, idque puriſſimum percolatum ſit, quod ad *uſus Medici-*

 nales

nales ſine ulla *Deſpumatione* aut ulteriori aliqua præparatione purum, durabile, ac propriis eximiiſque virtutibus prægnans recondatur.

A reſiduis interim in linteo *Cera & Propoli Mel* reliquum cum pauca aqua ſubcalida ſeparetur ac eluatur, quod ad juſtam conſiſtentiam coctione redactum tamquam priori multò inferius pro Mulſariis ac ad uſus ignobiliores reſervandum. Hiſce generaliter de delectu & legitima ac Naturæ legibus conformi *Mellis depuratione* præmiſſis, ac inutili deſtructivâque ejuſdem *Deſpumatione* rejectâ, ad particulares *Mellium Medicinalium* præparationes ſecundùm Artis & Naturæ regulas edocendas progredior.

In Hydromel ſimplex & Oximel ſimplex deſcripta paginâ 44.

HYdromellis ſimplicis præparationem Mulſariis relinquimus, modò ex puro *Melle*, nec (ut ſuperius dictum) variis ſordibus coinquinato elaboretur.

Quantum ad *Oximel ſimplex*, ne diutius futili *Mellis* ac inutili *Deſpumationi* (ut ſuperius ad oculum demonſtratum eſt) ac ineptæ additioni aquæ refutandæ inhæream, ad dextram ejus præparationem calamum moveo. Igitur

℞ *Mellis optimi modo aſſignato collecti duriuſculi* libras quatuor,

Aceti Vini optimi libras duas: miſce ſuper igne lento ſine ulla, aut ſaltem paucis ebullitionibus, ne violentioribus ac diuturnis coctionibus *Acetum* multum de *partibus ſuis penetrantioribus* deperdat.

In

166

In Oximel Scilliticum deſcriptum paginâ 45.

IN *Oximelle Scillitico* procedatur modo præſcripto, ſumendo tamen loco *Mellis deſpumati* & importuna illa coctione *particulis ſuis æthereis* & *ſubtilibus* orbati *Mel ſimplex* & genuinum, ut in anteriori *Oximelle ſimplici*.

In Oximel Marubiatum deſcriptum paginâ 45.

CIrca *Oximel Marubiatum* unicè obſervandum, ne *particulæ Marubii albi ſubtiliores & volatiliores*, non exiguæ in aperiendo & incidendo efficaciæ inutiliter adeò dilapidentur, ut in deſcriptione Authoris fit, *Melle* ſolummodò *Marubii Extracto craſſiore* imbuto: elige itaque hunc modum.

℞ *Marubii albi recentis* libram ſemis: minutim inciſo affunde *Aceti Vini optimi* libram ſemis in vaſe vitreo humili, & in Balneo Mariæ deſtillando prolice *Acetum odoriferum* ad ſiccitatem ferè *Marubii*, deinde *Aceto prolecto* immerge parem *Marubii recentis* quantitatem, iterumque ab eo avoca deſtillando *Acetum* ad uncias ſex circiter, quod denuò unciis tribus *Marubii* eſſentificatum ſervetur. Porrò ex reſiduo *Marubio*, tum à prima & ſecunda deſtillatione, qnam ultima infuſione fiat ſufficiente quantitate *Aquæ ſimplicis* affusâ *Decoctum* forte, quod colatum & clarificatum evaporet ad conſiſtentiam *Electuarii*, & cum *Aceto ſuperiori eſſentificato* dilutum cum *Mellis puri & craſſi* unciis ſedecim redigatur ſine Coctione ad conſiſtentiam *Syrupi*.

In Mel Mercuriale deſcriptum paginâ 45.

MEl *Mercuriale*, quod inteſtinis craſſioribus detergendis ac eluendis tantum deſtinetur, non magna eget Animadverſione, ac proinde poterit ſecundum aſſignatam methodum, præparari *Succo depurato* injiciendo adhuc pro augenda *Mellis Virtute Deterſiva Herbæ Mercurialis* inciſæ & contuſæ libras tres vel quatuor, quâ poſt aliqualem decoctionem ſeparatâ, coquatur *Succus* cum *Melle* ad juſtam conſiſtentiam.

In Mel Roſarum deſcriptum paginâ 45.

MEl *Roſarum* præſtantius multò evaderet ſi in hunc modum componeretur.

℞ *Roſarum rubrarum recentium* libras quatuor & ſemis. Inciſis affunde *Aquæ communis* libras quatuor, factâque aliquot horarum digeſtione, deſtilla *Aquam* ad ſiccitatem ferè *Roſarum*, huic *Aquæ prolectæ* interim immerge *Roſarum rubrarum recentium* libras quatuor ſemis & deſtilla ut priùs: porrò *aquâ elicitâ* interim ſervatâ accipe *Roſas* ab utraque Deſtillatione relictas, & ſufficienti *Aquæ communis* quantitate affusâ coque ad remanentiam circiter librarum octo vel decem, factâque colaturâ ac forti *Roſarum* expreſſione *Decoctum* clarificatum evaporet ad craſſitiem *Mellis*, ac cum aſſervata *Aqua ſpirituoſa* dilutum *Mellis* legitimè extracti libris decem leni calore ſine ebullitione unito, tantum de *Aqua* aſſervata addendo, quantum ad *Syrupi* conſiſtentiam ſufficit.

In Diamorum deſcriptum paginâ 45.

IN *Diamoro Succi* præſcripti prius optimè depurati non ad *tertiæ partis conſumptionem*, ſed potiùs

ad *tertiæ partis remanentiam* coquendi ſunt, ac ita *Melli* puro & legitimè collecto addendi, ne *Mellis* virtutes coquendo depereant, cum fructuum talium efficacia poſt longam etiam coctionem in reſiduo ſuperſtes maneat.

In Looch ſanum & expertum deſcriptum pag. 46.

UNicum hoc *Looch*, quod *ſani & experti* nomine venit, non minores quàm prædicti *Syrupi* continet errores, quorum præcipui in *Particularum Aromaticarum & volatilium* maximi in attenuando, incidendo & aperiendo momenti per importunam illam cum aliis Speciebus *Coctionem fugatione*, ac *Sacchari penidii* in locum *communis albi* ſubſtitutione fundantur: qui cum antehac ſatis ſuperque ad tædium uſque eventillati ſint, ad dextram hujus *Looch* compoſitionem indigitandam me converto.

℞ *Radicum Ireos Florentinæ*,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Cinamomi acuti ana unciam ſemis,
Foliorum Hyſopi,
Calamintæ recentium ana unciam unam, inciſis & contuſis ac Cucurbitæ immiſſis affunde *Aquæ communis* libram unam, & poſt viginti quatuor horarum digeſtionem fiat deſtillatio ad prolectionem trium vel quatuor unciarum *Liquoris Spirituoſioris odoriferi*, quibus ſervatis, *reſiduum* interim additis aliis *Speciebus* Decoctioni, deſtinatis inciſis & contuſis, ac *Aquæ communis* libris quatuor vel quinque, coque ad remanentiam circiter librarum duarum, quas albumine ovorum clarificatas coque cum *Sacchari albi* libris duabus ad *Mellis* conſiſtentiam.

Inde

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0135-2

Inde ex *Amygdalis & Pineis mundatis* & minutiſſimè contuſis cum *Aquæ fragrantis* priùs collectæ ſufficienti quantitate fiat *Emulſio craſſa* inſtar *Cremoris Lactis*, ita ut *Amygdalæ & Pineæ* totaliter per ſetaceum cogantur, quam *Syrupo ſpiſſo* adhuc calido optimè immiſce, ac demùm inſpergendo *Pulveres præſcriptos*, & de *Aqua fragrante* adjiciendo quantum (ſervatâ debitâ *Looch* conſiſtentiâ) capere poteſt, conquaſſando confice *Looch* elegans. Vel

℞ *Species omnes Decoctioni deſtinatas* exceptis *Semine Aniſi, Fœniculi & Cinamomo*, ac coquendo procede ad mentem Authoris. Tandem cum *Decocti clarificati* quantitate ſufficiente fiat *Emulſio craſſa* ut ante ex *Amygdalis & Pineis mundatis*, quâ *Saccharo albo* cum reliquo *Decocto* ad *Mellis* conſiſtentiam redacto ac adhuc calido unitâ, adde *Pulveres* præſcriptos, nec non *Olei ſtillatitii Aniſi, Fœniculi*, ana ſcrupulum unum *Cinamomi* ſcrupulum ſemis, ſed *Sacchari pulveriſati* circiter ſemi unciâ excepta, & diligenter agitando confice *Looch* etymo ſuo, quam illud ab Authore præſcriptum multò meliùs reſponſurum.

Quæ in claſſe hac circa varias *Syruporum*, *Mellium*, &c. Compoſitiones annotavimus, analogicè ad varias alias, tum variorum Authorum, tum Diſpenſatoriorum Præſcriptiones referri poſſunt, cum ubique penè pares, imò enormiores multò errores occurrant, undè eadem eas metiri menſurâ cuivis, qui hæc legerit ac intellexerit, in procinctu erit.

ANI-

168

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM QUARTAM CONTINENTEM

Rob, Condita, Conſervas, & Tragemata
Primò in Rob. deſcripta pag. 48.

CIrca horum & ſimilium *Rob* Compoſitionem nihil peculiariter annotandum occurrit, cum cuivis etiam anui & lippæ dextera eorum præparatio abundè innoteſcat; præterquam *Rob Juniperini*, quod aliorum more ex *Juniperi fructûs Succo* componi poſſe, Rationi & Experientiæ repugnat cum magna etiam *Granorum Juniperi* quantitas vix quidquam *Succi*, utùt prematur, præbere ſoleat. Aliâ igitur incedendum eſt via, ac ex *Granis* contuſis *Aquâ affuſâ* mediante *coctione lenta Rob* parandum, quod tamen non parum Virtutibus ſuis, ab *Oleo* eorum diuturnâ *coctione* evanido expectandis, orbatur; niſi damnum hoc peculiari artificio reſarciatur, quod aliquo modo fiet *Rob* jam parato addendo *Olei recentis Granorum Juniperi* dragmas aliquot pro ejus quantitate v. g. pro *quaque libra Rob Olei recens deſtillati* dragmas duas.

In Condita deſcripta paginâ 49.

IN *Conditis* illud peculiariter notandum, ut Virtutes *rerum condiendarum* (quantum poſſibile) conſerventur, non tam delicatulorum & effœminatorum Palato, quam Ægrorum ſaluti conſulendo: non itaque *Aqua ſeu Menſtruum*, in quo *res condiendæ* infuſæ aut decoctæ fuerunt tanquam inutilis abjicienda (ut pleriſque Gulæ ac Palati Aſſentatoribus in uſu eſt) ſed velut rerum Virtutibus maximè imbuta ad *Sacchari* diſſolutionem (ut Author benè notat) adhibenda: interim tamen (ſi mihi optio daretur) mallem *Radices*, *Cortices*, *&c.* præcipuè *aromaticas & odoriferas* in *pulverem* redactas & cum *Saccharo in Tabellas* vel *Rotulas* elaboratas aut eorum *Oeleoſacchara* in uſum trahere, quam effœta, inertia, Viribuſque propriis caſtrata *Saccharo delinita Medicamenta* adhibere, non tam Morborum, quàm Crumenæ levamini apta.

In Conſervas deſcriptas paginâ 50.

NEc meliora encomia merentur *Conſervæ*, quæ ob nimium adauctam *Sacchari* reſpectu *Florum* aut *Herbarum* quantitatem parùm in Medicina virium exerere poſſunt, niſi etiam (ut quidam volunt) propter *Saccharum* Sanitati plurimum noceant, Ventriculi fermentum nocivis ſuis qualitatibus, quas a *Calce viva* hoc inter clarificandum, contraxit invertendo. Quidquid ſit, cum *Saccharum* tantùm addatur ratione *Herbarum* aut *Florum Conſervationis*, non autem *Flores* & *Herbæ* propter *Saccharum*, ſufficiet pro earum *libra una* ſumpſiſſe *Sacchari libram unam & ſemis*, ut in annum & amplius *Vegetabilium* Virtus protrahatur.

Quantùm ad dextram *Conſervarum* Compoſitio-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0138-0

tionem, cum ea Pharmacopæis, imò etiam non paucis mulieribus ſat nota ſit, hic ſileo: illud tamen in mentem revocando, quod in *Animadverſionibus ſuper Aquas deſtillandas* annotavi; nimirum non paucas *herbas & flores* in ſui contuſione *gratum*, quem ante eam ſpirabant *Odorem*, admittere, ac tetrum quid exhalare, ex quo ſequitur, ejuſmodi *Vegetabilia* antequam *Saccharo* addantur ſoſummodò minutim incidenda, non autem contundenda, unum illud inſuper ſemper ſedulò cavendo, ne diuturnis aut violentioribus nimis *Coctionibus Rerum Aromaticarum ac fragrantium* Virtus depereat.

Quantum ad *Tragemata*, quæ *Tabellas* continent, nil peculiariter annotandum occurrit.

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM QUINTAM

Continentem Electuaria ſolutiva. paginâ 52. & ſeq.

ELectuaria ſolutiva, acſi *Medicamenta ſolutiva electa* dixeris, cum ſimplici præſcribantur methodo, paucos includunt errores; ita tamen, ut iis non omninò immunes exiſtant, eò quidem minùs, quò magis compoſita ſunt, majoremque dexteritatem in componendo requirunt; quia verò plurimi eorum, eique præcipui in *Animadverſionibus in Syrupos & Decocta* eventillati ſunt, eos leviter tantum abſque magna exaggeratione attingam.

In Benedictum Laxativum deſcriptum. paginâ 52.

E*Lectuarium* hoc, quod ſimpliciter ejus mixtio præcipiatur, præſcripto modo præparetur, ſumendo tamen *Mel purum & ſimplex Artis ac Naturæ lege extractum.*

Porrò hic, ac univerſaliter in omnibus *Electuariis*, quæ *Diagridium*, *Aloem*, aut *aliam Reſinam ac Gummi* recipiunt notandum ſedulò, ut *Species Melli ferventi ac multùm calenti* non immiſceantur, ne *Diagridium*, *Aloes*, *&c.* in grumos coeuntia totum Compoſitum evertant, ſed mixtio ſemper cum *Melle tepido* inſtituatur.

In

170

In Caryocoſtinum deſcriptum pagina 53.

IN *Caryocoſtino coctionem illam ac deſpumationem Mellis* ſine duplici jactura, *Mellis* ſcilicet & *Vini* imperati fieri non poſſe, ſecundùm prædicta nemo non videt: etenim utriuſque *particulæ ſpirituoſiores* ac *æthereæ* inconcinnâ hâc *Deſpumatione* in auras pelluntur remanente cum *Melle* multùm depauperato inutili *Vini Vappâ.*

Convenientiùs igitur fuerit *Species* præſcriptas *Melli ſimplici ac genuino nonnihil tepefacto* ſimpliciter immiſcuiſſe.

In Cholagogum deſcriptum pagina 53.

CIrca *Electuarium* hoc, non video, quomodo præſcripto modo ex aſſignatis *ſpeciebus Electuarium* confici poſſit, cum nullus *liquor* cum *Saccharo* in *Syrupum craſſum* excoquendus, qui *Species ſiccas pulveriſatas* excipiat, præſcribatur, nec *Prunorum pulpa Speciebus & Saccharo* in pulverem redactis pro *Electuario* efformando par ſit.

Accipiatur itaque colatura à *Prunis decoctis* reliqua, quæ cum *Sacchari albi* unciis ſedecim coquatur in *Syrupum* craſſioris conſiſtentiæ, cui ſemi refigerato adde *Pulpam Prunorum* ad conſiſtentiam debitam redactam, & ultimò etiam *Pulveres*, optimè agitando ac uniendo fiat *Electuarium.*

In Diacatholicon deſcriptum pagina 53.

POterit *Electuarium* hoc juxtà præſcriptam methodum præparari, præterquam quod *Semen Fœniculi* in prima cum *Radicibus Polipodii* coctione fruſtrà addatur, cum *Vis ejus Carminativa* inter coquendum tota exhalet, in cujus locum præſtiterit *Pulveribus* ultimò addendis *ſcrupulos duos vel tres Olei Fœniculi* immiſcuiſſe.

In Diaphœnicum deſcriptum paginâ 54.

IN *Diaphœnico* nihil dexteræ componendi methodo contrarium occurrit: circa *Præſcriptionem* autem illud plurimum miror, *Compoſitionem hanc*, (cujus effectus *Purgatio* eſt) tantâ *fructuum illorum Pulpæ copiâ* gravari, ut ab ea *Species Purgantes* tantùm non obruantur, quippe qui neutiquam directè *Vim Electuarii Purgantem* corrigere, nec etiam juvare poſſint, ſed tantùm *Doſim*, *Pretium* & ſumentibus *nauſeam* augeant: cum inſuper brevi facti rancidi *Electuarii Durationem*, quæ alioquin *Electuariorum* ſcopus exiſtit, protrahere vetent.

In Hydragogum deſcriptum paginâ 55.

CIrca *Electuarium Hydragogum* eadem ſeſe offert difficultas, quæ in *Chologogo*: debebit itaque in hoc cum *Decocto Baccarum juniperi* procedi, ut in prædicto cum *Decocto Prunorum* ad debitam *Electuarii* conſiſtentiam acquirendam.

In Electuarium è Succo Roſarum, Hieræ picræ, Confectionem Hamech, & Paſſulas laxativas deſcripta paginâ 55. *& ſeq.*

CUncta jam prænominata ſecundùm præſcriptum ab Authore modum componi poſſunt, unicè cavendo ne *Species Melli* aut *Syrupo nimis calidis* immiſceantur, tum etiam, ut *Species Purgantes Confectionis Hamech* Decoctioni & Extractioni deſtinatæ ſaltem bis cum *Sero Lactis* ad omnimodam *Virium Catharticarum* prolectionem infundantur & coquantur, in fine, dum jam omnia mixta ſunt addendo *Oleorum Fœniculi & Aniſi* priùs pulvere modico *Sacchari albi* exceptorum

drag-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0142-1 DFG

dragmam ſemis, ut reſarciatur jactura *Partium volatiliorum & carminativarum* facta in prima *rerum odoriferarum* Decoctione. 171

In confectione *Paſſularum corintiacarum laxativarum folia Sennæ* potiùs cum aquæ communis puræ ſufficienti quantitate extrahantur, quam cum *decocto Paſſularum* ſpiſſo & imprægnato.

APPENDIX
Ad Electuaria ſolutiva.

Dilutis, quæ in præcedentibus *Electuariis* hinc inde occurrêre difficultatibus, una adhuc ſupereſt, eaque non minima difficultas univerſalis in *Electuariis Saccharum recipientibus*: nimirùm quod methodo in eorum Compoſitione præfixâ non poſſit determinari *certa Doſis* totius Compoſiti *univerſalis*, id eſt, quod *Doſis Electuarii* ab uno compoſiti neceſſariò debeat differre à *Doſi* ejuſdem ab altero *Pharmacopæo* elaborati: quin, quod unus idemque Artifex eo modo ſtrictè elaborare nequeat *duo Electuaria* ejuſdem ſpeciei in *Doſi* æqualia, cum quoad majorem vel minorem *Succi* aut *Decocti* alteriuſve *Liquoris* cum *Saccharo coctionem* neceſſariò *Electuarium in pondere* adeoque *Doſi* variet, ut proinde practici numquam certam *Doſim* præſcribere poſſint, quæ difficultas etiam in *Syrupis Purgantibus* occurrit.

Sedulò itaque mihi mecum perpendenti, quomodo difficultas illa tolli poſſet: meliorem ac certiorem modum reperire non potui, quam *Syrupum*, qui ut plurimum *Corpus Electuarii* conſtituit redigendo ad certum & determinatum aliquod pondus, quod facilè fiet librando *pelvim* operationi deſtinatam antequam ei *Saccharum* unà cum *liquore* ad conſiſtentiam decoquendum committatur: ſicque in præcedentibus *Electuariis* procedendo.

In

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0143-6

In *Chologogo* coquatur *Saccharum* cum *Decocto Prunorum* ad remanentiam *unciarum viginti duarum.*

In Diacatholicone Saccharum cum *Decocto Radicum Polipodii* ad reliquias *librarum duarum* & *unciarum decem.*

In *Diaphœnico*, poſtquam *Pulpa Dactilorum* pariter & *Amygdalæ* optimè contuſæ & cribro tranſmiſſæ cum *Saccharo* ſive *Penidio*, ſive *albo communi Melli* commixta ſunt, non ampliùs coquendum hoc *Pulmentum* nota, ſed protinùs *Pulveres* præſcriptos immiſcendo elaboretur in *Electuarium.*

In *Hydragogo* redigatur *Saccharum* cum *Decocto Baccarum Juniperi ad uncias quatuordecim.*

In *Electuario è Succo Roſarum Saccharum* cum *Succo Roſarum pallidarum ad uncias viginti quatuor.*

In *Confectione Hamech*, *Saccharum* cum *Succo Fumariæ* ac *Specierum præſcriptarum Decocto* ſeu *Extracto* ad reſiduum *unciarum viginti ſex.*

Demum in Confectione *Paſſularum*, *Laxativarum* infuſio *Foliorum Senuæ* evaporet ad remanentiam *unciarum quatuor.*

Hacce methodo uniformiter in omnibus Pharmacopoliis diſpenſata *Electuaria* exſtabunt omniſque error non parvum Practicis negotium ſæpe faceſſens penitùs tolletur, uno tamen bene obſervato. ut *Fructuum Pulpæ* ante ponderationem debitam nanciſcantur conſiſtentiam.

Electuariorum, quæ *Pulpas* & *Succos* non admittunt vice multò melius eorum *Species* in uſum Medicum aſſervatum in exiſtimo, utpote ſi in *Bolo* deſiderentur, facilè in eum addito *Syrupo* aut *alio liquido* convenienti reducibiles, minori inſuper ære & nauſeâ Ægris conſtantes, cum alioquin ob *Syrupum* aut *mel triplum* adjectum quævis *doſis* in magnam molem excreſcat.

ANI-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0144-2 DFG

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM SEXTAM

Tractantem de Speciebus Aromaticis & Pulveribus pagina 58. & ſeq.

PAuca in harum *Specierum* & *Pulverum* præparatione ſeſe offerunt ſingulari aliqua Animadverſione indigentia, cum quivis Pharmacopæus facilè norit, quidnam prius ac poſteriùs, conjunctim ac ſeparatim in Pulverem redigendum ſit: particulariter tamen hic quædam dicenda forent de *Corallorum*, *Margaritarum*, *Pretioſorum Lapidum*, *Cornu Cervi* & ſimilium *præparatione*, niſi de iis tractandi in Claſſe decima quarta ſeſe offerret occaſio.

In *Specie Diacurcumæ*, quam inconſideratè ac ridiculè *Succus Abſynthii*, *Eupatorii & Liqueritiæ* addantur, nemo non videt, cum eos, niſi totaliter exſiccaveris, imò exuſſeris in Pulverem redigere impoſſibile exiſtat, totaliter autem arefacta, quid virium in ſe contineant, cuivis judicandum relinquo: ſi verò humidi *Speciebus ſiccis* commiſceantur, tota mixtura facilè ſitum contrahit, ut humidè repoſita ſolent.

In *Pulvere Liberante Bolus Armena debitè præparata* præſcribitur, nullibi tamen in toto Diſpen-

ſatorio Author *debitæ ejus præparationis* mentionem facit, nec eam edocet: itaque ſi *Bolus Armena* aliquam *præparationem* requirat, ea debita & reſpectiva, particularis ſcilicet reſpectu hujus *pulveris* adverſus *Morbos malignos* deſtinati, ſit oportet, adeoque ei per *Præparationem Virtutis aliquid Antiloimicæ* accedere debet, quod commodè ac utiliter fiet, eam *Vegetabilis cujuſdam Morbis malignis oppoſiti Succo* aut *Decocto* aliquoties inſuccando & exſiccando v.g. *Succo Galegæ*, *Scordii*, *Cardui benedicti*, *Decocto Radicum Scorſoneræ*, *Galegæ*, *Gentianæ*, *&c.* Cavendo tamen a *Succi* alicujus *Acidi*, ut *Citri*, *Limonum*, *Acetoſæ*, *&c.* Affuſione, ne mutuâ invicem actione & paſſione ntriuſque, *Succi* ſcilicet & *Boli* vires infringantur, ac ita ex iis tertium aliquod ens neutrius vires ac qualitates referens exurgat. Et hæc de *Præparatione Boli Armenæ* huic compoſitioni reſpectivâ brevibus dicta ſufficient.

Nunc circa *Aurum Foliaceum* huic aliiſque *Pulveribus* additum quædam examinanda ſunt. Primò quidem an *Aurum* taliter in *Laminas* deductum ac *Medicamentis* commixtum emolumenti quippiam Ægro conferre poſſit, & deinde, an non modò utilitatem nullam, ſed etiam damnum ſumenti afferre queat: quibus ut ſatisfiat, notandum eſt, *Alimenta* ſeu *Medicamenta* ori ingeſta (ut commodum quippiam ſumentibus conferant vel alendo, vel purgando, vel alterando) à *Fermento* ac *Calore Stommachi* ſubigi, diſſolvi, & actuari debêre, niſi ante diſſoluta fuerint: an verò *Aurum Metallorum fixiſſimum* ac *ſolidiſſimum*, *immotum inter vehementiſſimas probatorii ignis torturas* perſtans, nec *Aquis Stigiis* niſi peculiari artificio acuatis cedens, a Ventriculi *Ægrorum* præſertim *debili Calore inertique fermento* diſſolvi actuarique poſ-

ſit,

 173
ſit, cuivis veritatis amanti judicandum ac decernendum relinquo, affirmantemquè ac Veritati obnitentem ipſa autopſia, qua *rutilantibus Auri ſcintillis* reſplendere *excrementa* animadvertet, abundè convincet. Ut proinde cum clariſſimis viris Scrodero, Quercetano, aliiſque quamplurimis meritò inferamus, *Aurum Medicamentis* additum prætere nihil præſtare, quam quod vulgi oculos inaniter paſcat ac demulceat: niſi etiam quibuſdam Ægris terrorem incutiat, dum *nitentis Auri fulgore* perculſi ultimum inſtare diem arbitrantur, cum iis addi ſoleat *Medicamentis*, quæ Cordi ac Vitali robori per Morbos diuturnos aut malignos attritis refocillandis deſtinantur ac præſcribuntur.

Hiſce autem conſideratis, nonne immeritò etiamnum de temporum injuria ac miſeriis conquerimur, qui iis vivimus annis, quibus *Aurum* nobis adeò vileſcit, ut eo lingua, Palatum, Oeſophagus, Ventriculus, Inteſtina, imò ipſa ſtercora (ſit venia verbo) inaurentur? Certè levior foret ac ferenda jactura, niſi etiam ipſa *Ægrorum* ſalus inde *Damnum* pateretur, unde eidem præſtolamur *Auxilium*: dum ſcilicet *actio Chylificationis* & *tranſitus Chyli* per Vaſa Lactea Ægris plerumque nimium impedita, interturbatur, *Aureis* ejuſmodi *corpuſculis* (quæ, ut amplius eorum fulgor Compoſitiones ſuas commendet, in minores atomos terere timent Pharmacopæi) partim Ventriculi jamtum *ſat iners Fermentum* (dum fruſtraneâ in illa actione ejus cuſpides hebetantur) labefactantibus, partim *Vaſorum Lacteorum oſcula* obſtruentibus ac *Chyli* per Meſenterium motum impedientibus, reliquis interim ſine ulla alteratione, ut aſſumpta ſunt, cum excrementis, quæ rutilo ſuo fulgore diſtinguunt, per alvum ſecedentibus.

tibus. De *Argento faliaceo* variis *Pulveribus* & Speciebus addito par eſt ratio.

O inanis luxus & noxia majorum noſtrorum prodigalitas, qui Agnina pelle Lupum celarunt, dum oculis blandiri volentes arcana Toxica præſcripſerunt. Taceo, quod quoſdam (ut paulò ante dixi) terrere ſoleat fulgor ille fallax *Auri* Medicamentis immixti clamantes ea *Deſperatis* demum *Ægris* propinari *Medicamenta*, in quibus *Aurum* ſcintillat.

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM SEPTIMAM

Agentem de Pulveribus ſolutivis paginâ 69. & ſeq.

IN hac Claſſe, cum a priore parum differat, niſi penes *pulverum*, quos continet, *effectum*; pariter pauca occurrunt animadvertenda, quorum præcipuum illud eſt, quod maximè attendendum ſit, ut *Diagridium* in minutiſſimum pulverem ſeorſim redigatur, alioquin Ventris Tormina, Lancinationes & quandoque Superpurgationes, Vomitiones, aliaque Symptomata inducturum.

Unum adhuc ſupereſt in *Pulvere Diacarthami*, quod, quin paucis attingam, tacitus præterire non poſſum: nimirùm inutile hujus pulveris pondus, fruſtranea inquam & ridicula adjectio *Specierum Diatragacanti frigidi*, quæ, in quem finem fiat, ingenuè fateor, aſſequi nequeo: niſi fortè ea contingat, ut cum veteribus loquendo *Frigus potentiale hujus Speciei* temperet *Purgantium Calorem*, aut ſaltem earum *partes glutinoſæ & viſcidæ Purgantium acrimoniam*, illorum partes obvolvendo, obtundant: at, ſi prius intenditur, cur *Calor* ille prætenſus *Aromatum* additione augendus, cum

ea ad minus tantum *Caloris* in ſe contineant, quam prædicta *Species Frigoris*, adeoque Actiones mutuæ infringantur, ac conſequenter ea ſaltem ratione, & *Species*, & *Aromata* fruſtrà adduntur: ſi autem poſterius: cur *Aromatum acrium* adjectione *Acrimonia Purgantium* adaugetur, & *Specierum adjectarum Viſciditas* eorum *Calore* diſſolvitur? Certè ex hac contrarietate, quæ adeò in hiſce manifeſta exiſtit, facilè videre eſt, quo fructu & efficaciâ talia in eodem Pulvere conglomerentur, & conſequenter quam frigidè *frigida hæc Species Pulveri Diacarthami* addita ſit.

Quæ de *Specie* hac *compoſita* dicta ſunt, pari ratione de *ſimplicibus* pluribus aliis pulveribus ſine ratione ac judicio adjectis, queunt prædicari.

175

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM OCTAVAM

Agentem de Antidotis & Opiatis, & primò in Confectionem Alkermes deſcriptam fol. 17.

CIrca famoſam hanc *Compoſitionem*, huc trahantur quæ de *Syrupo* ejuſdem nominis dicta ſunt, ſumendo nimirum *Syrupum* legitimè *ex Succo granorum Kermes* vel modo à nobis inſinuato præparatum, non eum, qui ſecundùm Monſpelienſium deſcriptionem ineptè ſatis compoſitus eſt. Quoad *Compoſitionem* autem, diligenter attendendum eſt, ut *Syrupus* ante *Specierum* commixtionem *debitam* pro *Electuario* nanciſcatur *conſiſtentiam* lento eum igne nonnihil evaporando; quandoquidem ut nobis defertur, plerumque pro *Electuario* conficiendo dilutior ſit. *Ambra* autem potius cum *Speciebus pulveriſatis* in minutiſſimos atomos teri debet, quam inciſa ſolummodò (ut Author monet) *Syrupo* injici: ita enim intimiùs toti *Compoſito* immiſcebitur.

Quo fructu & effectu *Aurum* huic *Confectioni cordiali* addatur, videantur *Animadverſiones in Species aromaticas* univerſim traditas.

Porrò præmiſſis iis, quæ ad dexteram hujus *Confectionis Compoſitionis* informationem inſerviunt,

viunt, tacitus præterire non poſſum, quin aliqua circa *uſum* ejus a paucis hactenus perſpecta, aut ſaltem ab iis, qui ea animadverterunt, neglecta, breviter admoneam.

Adhiberi itaque ſolet *Confectio* hæc *ad Vires Morborum malignitate* aut *diuturnitate attritas & collapſas refocillandas ac reſtaurandas*, idque plerumque pondere *Dragmæ unius* aut *Scrupulorum quatuor* pro Doſi una ſat rarò, aut, (quod familiariſſimum eſt) pro *Baſi* in mixtura cochleatim per *intervalla* ſpacio fortè *duodecim* vel *viginti quatuor horarum Ægris exhauſtis* propinanda: quantum autem *Ægrorum vires* plurimum *labefactatæ* & *inanitæ*, ac jam penè ſub *Morborum ferocià fatiſcentes* inde refocillari queant, paucis inquiramus.

In quem finem non abs re futurum arbitror totam *Confectionem* ad calculum redigere, ex quo patefiet, quantum a *Dragma una Confectionis hujus cardiacæ* ſuppetiarum *moribundis Ægris* expectandum ſit.

Tota igitur *Compoſitio* continet *uncias triginta duas*, *dragmas duas & ſcrupulum unum*: ergo inſtituto computu quævis *Dragma* continebit *Specierum* in toto *grana quatuor & tres octavas partes grani unius*, factâque inſuper *ſingulorum ingredientium* diviſione & ſubdiviſione, *quævis Dragma* recipiet imprimis

Ambræ griſeæ,

Lapidis Lazuli,

Margaritarum ana grani unius quartam partem & tres decimas ſextas partes,

Ligni Aloes,

Cinamomi ana granum unum, quartam, octavam & trigeſimam ſecundam partem grani unius,

Auri autem ferè *granum* unum ſingulas ſex *Dragmas* ingreditur.

Aſt

176

Aſt aiet quiſpiam *Confectionem* hanc à *Syrupo* inſignes *vires Cardiacas* mutuare: quod quidem, ſi hæc Confectio majori, id eſt *triplâ*, vel *quadruplâ* vulgari *Doſi* exhiberetur, non negarem; aſt à *Dragma una*, quid pro *Virium ſuppreſſarum reſocillatione* energiæ aut miraculi præſtoleris? Cum ejus adminimum *ſcrupuli duo Saccharum* ſint, reliquis circiter *Succi granorum Kermes granis ſedecim*, in quibus quantum *efficaciæ* ac *qualitatis reſtaurativæ* latere poſſit, cuivis veritatis amanti perpendendum relinquo. Ego interim, ſi arbitrii mei res illa foret, vel *Species Confectionis* quadruplicarem, vel *Doſim* in ejus exhibitione majori emolumento, meliorique effectu notabiliter augerem.

Pari ratione inſtitui poſſet calculus in ſequenti *Electuario Diaſcordii* cujus *ſcrupuli quinque* non amplius continent, quam *Specierum grana viginti unum*, eâque viâ facilè conjecturari quiſque poteſt, quantum *cuique Medicamenti Doſi* virium attributarum inſit, & quouſque ea *Doſis* queat extendi vigili ſemper oculo in *Baſim* defixo.

In Diaſcordium Fracaſtorii deſcriptum pag. 71.

QUandoquidem in omnibus *Medicamentorum Compoſitionibus* ſemper eò anniti debeamus, ut earum *Ingredientium Vires* (quantum licet) intendamus, ut ex eo *major* in totum *Compoſitum virtus* redundet, non abſque ratione & utilitate futurum arbitror, ſi *Bolus Armena* cum *Succo Scordii* præparata (ut in Animadverſionibus in Claſſem ſextam edocui) pro *Diaſcordio* adhibeatur, ſicut & *Reſina Styracis* vice *Styracis ſimplicis arenulis, lapillis aliiſque ſordibus* plerumque conſpurcatæ. Præparatio autem *Reſinæ* facillima hoc modo inſtituitur.

℞ *Sty-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0153-2

℞. *Styracis Calamitæ optimæ* quantum volueris, quam priùs groſsè contuſam affuſâ *aquâ communi* unica ebullitione liquefac & emolli, ac derepente ſacculo immiſſam per *prælum* priùs optimè *calefactum* fortiter exprimè: *Reſinam perpulchram* ab *aqua* ſeparatam collige, ac diligenter uſui ſerva.

Quoad *Præparationem* ſeu componendi modùm ſatisfeciſſe ſeſe exiſtimat Author ponendo *fiat ſecundùm artem* pleriſque ſatis latam: unde fit, ut tam diverſa in Pharmacopoliis reperiantur *ejuſdem ſpeciei Electuaria*, non modò quoad *Conſiſtentiam*, verùm etiam (quod peſſimum eſt) ſecundùm *Effectus* variantia, quod non aliundè, quam ex *indebita ingredientium mixtura & componendi diverſitate* reſultat.

Etenim, niſi *Opium* v. g. dexterè diſſolutum per minima *Electuariis* immiſceatur, inæqualiter illud *Vires ſuas Anodinas Somniferas*, *&c. diverſis Doſibus* communicabit, ita ut *Doſis* una duplò quandoque plus ab *Opio* participatura ſit quam altera.

Niſi *Gummi* legitimè ac prudenter cum aliis *Speciebus* commiſceantur, *inæquale*, *grumoſum ac nauſeoſum* inde exurget *Electuarium*.

Niſi *Mel* debitè collectum nec *importunis Deſpumationibus & Coctionibus* truncatum adoptetur, multum *Electuario* de virtutibus ejus genuinis detrahetur.

Si *Mel Vino* aut *alio liquore* plus juſtò dilutum à *conſiſtentia ſua* nimium deflectat, præpoſtera *fermentatione* à genuina natura ſua degenerans, totum evertet *Electuarium*.

Quibus incommodis, ut occurratur, non laconicum illud continuò occinendum *fiat ſecundùm artem*, ſed certa quædam norma præſcribenda eſt ſecundùm quam *Electuarii* cujuſque præparatio diri-

dirigatur, cum quoad *ingredientium diverſitatem* 177
ſæpe etiam *componendi methodus* variet.

Porrò *Electuarii Diaſcordii* præparatio commodiſſimè inſtitui poteſt modo ſequenti.

℞. *Foliorum Scordii ſiccatorum*,
Roſarum rubrarum ana unciam unam,
Radicum Biſtortæ,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Caſſiæ ligneæ,
Cinamomi,
Dictamni cretici,
Seminis Acetoſæ,
Gummi arabici ana unciam ſemis,
Zinſiberis,
Piperis longi ana dragmas duas,

Mixta contundantur in pulverem ſubtilem, cui adde

Boli Armenæ cum *Succo Scordii* ſepties inſuccatæ & exſiccatæ ac ſeorſim levigatæ uncias duas,

Galbani per ſe triti & cribrati unciam ſemis, quibus optimè commixtis,

Opii Thebaici præparati dragmæ duæ cum *Vini Canarini generoſi* præterpropter unciâ unâ leni calore vaſculo clauſo ſolvantur.

Hiſce factis Lebeti operationi deſtinato immitte *Reſinæ Styracis Calamitæ* unciam ſemis, cui igne leni liquatæ ſenſim adde de *Mellis optimi* debito modo collecti libris tribus tantillum, continuò diligenter agitando, mox etiam aliquid de *Pulveribus* ante aſſervatis, ac alternatim etiam de *Opio ſoluto* & in calore interim aſſervato, donec omnia addita fuerint & intimè commixta, continuando adhuc aliquamdiu agitationem in calore tepido ad perfectiorem omnium unionem.

In

In Confectionem Hyacinthorum deſcriptam pag. 72.

IN hac *Confectione* (cum de *Auri Argentique* additione jam ante mentem meam expoſuerim) præter *Syrupi de Cortibus Citri certi ponderis determinationem* nihil occurrit peculiariter annotandum: prædictæ autem *determinationis* neceſſitas uel ex eo patet, quod apud unum Pharmacopæum tota *Confectionis* maſſa ad *duplam* etiam *quantitatem* excedere poſſit eandem *Confectionem* apud alium elaboratam, ut, ſi unus *duplum*, alter *triplum*, alius *quadruplum* vel etiam plus *Syrupi* aſſumpſerit, prout magis aut minus turpis lucri aviditate tenetur: unde *Syrupi quantitatem* malè cujuſvis avari aut cervicoſi arbitrio Author aſſumendam reliquit.

Cum itaque non ratione *Syrupi Species*, ſed ratione *Specierum Syrupus* addatur, quantitatem *Syrupi* reſpectu *Specierum duplam* eſſe ſat eſſe exiſtimo.

Notandum tamen non omnem *Syrupi Conſiſtentiam* ad hanc *Confectionem* ſufficere, ſed eam ſolitò *ſpiſſiorem* eſſe oportêre, ut *Species* per ſe graves ſuſtentet, & debitam cum iis *Electuarii* ſeu *Confectionis conſiſtentiam* adipiſcatur.

In Mitridatium deſcriptum pag. 73. & 74.

VAria circa *Mitridatii* inconcinnam & confuſam *ingredientium*, adeò inter ſe differentium, ut mutuas neceſſariò elidant operationes, conglomerationem in medium produci poſſent: verùm, quia ea omnia & plura *in Animadverſionibus in Theriacam* (ubi exactiùs aliqua diſcutere animus eſt) eventillabuntur, & jam tum aliquatenùs in *Animadverſionibus in Aquam Theriacalem* examinata ſunt, paucis de *Agarico* & *Trochiſcis Cypheos* præ-

miſſis

178
miſſis (ut pateat quo fine, quove effectu vetuſtæ huic & famoſæ compoſitioni addantur) ad dextram ejus præparationem tranſilire decrevi.

Agaricus igitur *Fungus* eſt aliorum *Fungorum* more in Arborum truncis ex ſubſtantia facilè corruptibili & putrida enaſcens, ut de natalibus ejus Cardanus teſtatur: de *Virtutibus* autem ejus ſcribens idem Author *humanæ eum naturæ inimicum*, *ad vomitus ſollicitantem*, *ventriculum ſubvertentem* (quod & alii innuunt Authores) & *moleſtas cordialgias inducentem* refert.

Helmontius "agaricum nigrum ſuffocandi ac „ ſtrangulandi virus habere „ aſſerit: "eo quod „ fungoſæ indolis, ac in ipſo enaſcens trunco con- „ taminetur; vide-ſis ne & albicanti huic fungo „ paria inſcribenda elogia, qui cum Agarico nigro „ paria habet cunabula & geneſim. „

Clariſſimus Scroderus "apoſtema hoc & ſca- „ biem putreſcentium arborum „ (ut vocat) nequaquam commendat libro 4. Pharmac. claſſe 3. ubi eum *Purgantibus* cum reliquis tum recentioribus, tum Veteribus annumerat Authoribus, eorum plurimis eum, qui *Antidotis* addatur, indignum & ineptum judicantibus, paucis autem *vim* ei *Alexipharmacam* tribuentibus: quorum tamen placito, cum & *Ratio* & *Experientia* refragentur, minimè aſſentiendum exiſtimo: etenim indignum eſt, ac à ſana mente alienum *Medicamentis Alexipharmacis* adverſus *Venenorum* efferos inſultus Cor vitaleſque partes tutantibus & *Morbos malignos* profligantibus nocua ejuſmodi *Purgantia* prioribus ex toto contraria accumulare: cum præterea Ratio & Experientia doceant *Medicamenta Alexipharmaca* utplurimum per *Sudores* & *Diaphoreſim* effectus ſuos producentia à *corporis Centro*

tro ad circumferentiam Lethiferum Virus propellere, *contrario* autem *modo Purgantia* operari. Quibus perſpectis tibi Lector ſequelam formandam relinquo: & meo quidem judicio reor ab hac *Confectione Alexipharmaca Agaricum* jure merito ſecludendum.

Quantum ad *Trochiſcos Cypheos*, cum omnia ejus conſtitutiva (paucis exceptis, utpote *Uvarum paſſarum* dragma una ſemis, *Cyperi*, *Baccarum juniperi* ana granis ſeptem *&* *Ligni Aſpalti* granis decem) ipſam *Mitridatii* compoſitionem ingrediantur, cur ea prius in *Trochiſcos* redigi, ac ita *Compoſitioni* addi debeant, nullus video: quantum autem *Virtutis Alexipharmacæ* in *Mitridatium*, quod integrè diſpenſatum *tredecim librarum pondus* excedit, à *Dragma una & ſemis Uvarum paſſarum* (quarum indies magnam copiam plures conſumunt) & à *paucis granis Radicum Cyperi*, *Baccarum juniperi*, & *Ligni Aſpalti* redundet, cuivis judicandum relinquo, neque opus eſſe exiſtimo de frivolis illis altiùs quidquam indagare. Itaque, ne longior ſim ad dextram *Mitridatii* præparationem accingor, in qua, etſi plura *Antidoto illa* indigna ac meritò ex ea eliminanda reperiantur, cum (ut alias adhuc dixi) in variandis ac elidendis *Compoſitionum ingredientibus* mei arbitrii eſſe nolim, cuncta ingredientia exactè ſervavi omiſſis tamen *Trochiſcis Cypheos*, quorum conſtitutiva omnia eorum loco adauxi, ne ſine neceſſitate entia multiplicentur. Itaque

℞. *Radicum Zinſiberis*,

Agarici albi, (qui jure meritiſſimo omitti poſſet ac ejus loco alia ingredientia augeri.)

Thuris Maſculi,

Seminis Thlaſpios ana dragmas decem,

Spicæ

Spicæ nardi dragmas decem & grana duodecim,

Mirrhæ electæ dragmas decem, ſcrupulos duos & grana quinque,

Seminis Seſeleos,

Coſti odorati,

Corticum exteriorum Citri,

Stœchados,

Piperis longi,

Succi hypociſtidos,

Galbani,

Caſtorei,

Reſinæ Styracis,

Opoponacis in guttis,

Opobalſami ana unciam unam,

Caſſiæ ligneæ,

Bdellii, ana dragmas decem & grana duodecim,

Polii montani,

Scordii veri,

Piperis albi,

Seminis Dauci,

Carpobalſami aut *Granorum juniperi* ana dragmas ſeptem,

Nardi Celticæ purgatæ,

Radicum Gentianæ,

Foliorum Dictamni cretici,

Roſarum rubrarum,

Gummi arabici,

Opii thebaici præparati,

Seminis Cardamomi minoris,

Fœniculi,

Petrocelini macedonici ana dragmas quinque,

Radicum Acori ſeu *Calami aromatici* dragmas tres ſemis & grana quotuor,

Radicum Aſari,

Vale-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0159-9 DFG

Valerianæ majoris,
Seminis Aniſi,
Sagapeni ana dragmas três,
Radicum Mêu athamantici,
Summitatum hyperici,
Succi Acaçiæ,
Lumborum Scinci marini anà drag. duas ſemis,
Ovarum paſſarum dragmam unam ſemis,
Terebintinæ dragmas novem ſemis,
Radicum Cyperi,
Baccarum Juniperi ana grana duodecim,
Aſpalthi grana decem,
Vini generoſi quantum ſatis
Mellis optimi ſine Deſpumatione depurati libras novem, uncias octo & dragmas duas.

Hæc quoad ejus deſcriptionem; præparatio autem procedat in modum ſequentem.

Cuncta, exceptis jam nominandis in pulverem ſubtiliſſimum modo & ordine cuivis ſatis noto redigantur bene notando ut *Scœnantum* & *Spica indica* minutim prius forcipe conſcindantur in capillulos alioquin & floccos, utut exactè contuſeris abitura.

Opium, *succus Acaciæ* & *Hypociſtidis* in *Vini ſufficienti quantitate* ſolvantur, quibus per ſe tritus *Crocus* diluatur.

Gummi plerique ſolent *Vino* ſolvere, colare & ad *Mellis conſiſtentiam* inſpiſſata *Confectionibus* & *Electuariis* immiſcere, verum minùs rectè, cum ea methodo multum de *particulis Gummatum* ac *Vini ſpirituoſioribus* deperdatur: itaque conducibilius fuerit *Gummata* pura in granis cum reliquis ingredientibus, aut ſola per ſeſe in pulverem redacta reliquorum pulveribus addere, ita enim nec nimio liquore *Electuarium* diffluet, unde immodica

dica fermentatio toti Compoſito ruinam minaretur, & *Gummatum Vinique* vires integræ ſervabuntur.

Reſina Styracis Calamitæ ejus *guttis* propter fraudulentam Mercatorum induſtriam plurimùm præferenda cum *Terebintina ſelecta* lento igne ſolvatur, quibus liquatis *Opobalſamum* vel *Oleum Nucis Moſcatæ* propriâ operâ expreſſum (quia vulgare illud multum plerumque adulterari ſolet) exactè immiſce.

His ita diſpoſitis, ac interim in lento calore ſeu tepore detentis, accipe *Lebetem* mixtioni deſtinatum, cui modico calori ſuperpoſito primò aliquid *Mellis* lento calore ante liquati immitte, quo latera undique & fundus *Lebetis* ſpatulam ſeu piſtillum continuò circumducendo obducantur, mox etiam aliquid de *Terebintina liquata*, *Reſina Styracis & Opobalſamo* aut ejus *Succedaneo* optimè commixtis guttatim inſtilletur, deinde paululum de *Pulvere ſubtiliſſimo* per cribrum inſpergatur, poſtea de *Succis ſolutis* nonnihil, alternatim etiam *Mellis* partem immitte, optimè interim & ſtrenuè agitando, donec omnia viciſſim addita & intimè adunita fuerint: in quem finem agitatio poſt omnium conjunctionem aliquamdiu adhuc continuetur in leni calore: atque ita dexterè paratum erit *Mitridatium*, quod tamen multò efficacius futurum exiſtimo, ſi ex eo *Agaricus* cum quibuſdam aliis *Virtute Alexipharmacâ* nullâ præditis elideretur.

In Philonium Romanum & Requiem Nicolaî deſcripta paginâ 74. & 75.

SImpliciter hæc modo præſcripro parari poſſunt reflectendo ad ea, quæ de *Melle* ejuſque

legitima collectione ac præcedentium *Electuariorum* mixtione dicta ſunt.

In Theriacam Andromachi ſenioris deſcriptam paginâ 76. & 77.

HActenus omnium, non modò plebeorum & indoctorum, ſed & Magnatum & Principum, nec non Medicorum ora ſpecioſa ac faſtuoſa de *Theriaca* encomia implevêre: unde eam *Medicamentorum Reginam* appellarunt, ad quam velut *unicum Aſylum* & *ſacram Anchoram* in *Morbis deploratis*, præſertim *lue Peſtiferâ* confugere liceret: verùm enimverò, ſi ſinceri Veritatis aſſeclæ, nullique mancipati magiſtro rem penitius paulò, quam per tranſennam inſpexerimus, plurimum hyperbolicis ejus laudibus decidendum inveniemus: etenim præter graviſſimorum virorum Authoritatem, quibus *confuſa hæc ex tot ingredientibus conſarcinata compoſitio* ſuſpecta ſemper fuit, (ut videre eſt apud Quercitanum redivivum in ſua pharmacopæa dogmatica fol. 475.) rationi apertè contraire videtur, quod ex indiſtincta & infundata tot *Ingredientium* palam etiam inter ſe *repugnantium* farragine ſeu potius confuſione, tam *excellens tutumque in Morbis deploratis Antidotum* (quale *Theriaca* vulgo haberi ſolet) emergat: cum exacto *ingredientium* examine inſtituto ſat pauca eorum invenire ſit *Virtute Bezoardicâ* & *Alexipharmacâ* prædita, quorum tamen adhuc efficacia & energia *diſſidentium ac contrariarum Specierum* partim *Qualitate*, partim *Quantitate* obruitur ac tantum non penitùs extinguitur. Quæ ut clarius quivis intelligat, penſiculatiùs quædam *Theriacæ conſtitutiva*, tamquam *Baſis* & *fundamentum*, ceu à quibus potiſſimas deberet mutuari vires, ei addita, examinare aggredior.

In

In pomposa igitur ac longo agmine poſitorum ingredientium ſerie primam ſtationem obtinent *Trochiſci Scyllitici ſex unciarum pondere* ſpecioſam hanc *Compoſitionem* nobilitaturi, e quibus, ut redundantes in *Theriacam* Virtutes ritè expiſcari poſſimus: primò in *Scyllarum naturam* ac *dotes*, deinde in *Trochiſcorum Compoſitionem* inquirendum.

Primùm igitur quod attinet, quotquot de *re Botanica* ſcripsêre, *Scyllas* ab uſu interno *ſimpliciter ſcilicet & per ſe acceptas* planè conſulunt arcendas, cum *mordaces*, *acres*, *inflammatoriæ*, *ſtrangulatoriæ*, *deleteriæ* denique & *virulentæ* exiſtant, adeo, ut eis, quos aut temeritas, aut inſcitia ad earum introſumptionem adduxit, *Cardialgias*, *Peripneumoniam*, ac *viſcerum lethales inflammationes* inducant, foris applicitæ *cutem adurant*, ac *Cantharidum* inſtar in *veſicam* extollant, *gladios*, *ſpicula*, *aliaque armorum genera tam pravis* imbuant *qualitatibus*, ut, ſi quis iis *Scyllarum Succo* imbutis aut ſaltem illitis ſaucietur, *immedicabile* pene *vulnus* incurrat. Quare à nullis in uſum trahuntur, niſi inter clibani anguſtias farinæ maſſa obvolutæ *Virulentiæ ſuæ* partem exſudarint: ac ita *humores viſcidos incidere ac attenuare*. *obſtructiones Lienis & Hepatis reſerare*, *hydropicis*, *ictericis*, *Cachecticis*, *&c. ſubvenire* aſſerunt, paucis eorum, iiſque tempori & antiquitatis erroribus poſthabitâ veritate ſervire ſolitis, *Virtutes Scyllæ Cardiacas & Alexipharmacas* tribuentibus.

Suppoſito tamen aſt nullatenùs conceſſo *Scyllam Virtute Cordiali Venenis infectâ* gaudere, quid quæſo poſt *Trochiſcorum exſiccationem de Scylla* reliquum erit? Parum certè admodum; etenim ſi *Pulpæ Scyllarum libram unam* cum *Farina Orobi*

albi unciis octo (prout fert *Trochiſcorum Scyllæ* deſcriptio à Galeno ad nos uſque tranſlata) poſt ſufficientem in mortario marmoreo contuſionem junctim in *Trochiſcos* redegeris, dein exſiccaveris & demùm libraveris, præter *Farinæ Orobi extraneo amarore imbuti pondus* exiguum quid ſupereſſe deprehendes, quod mecum omnes, quotquot pro *Theriacæ compoſitione hos Trochiſcos* aliquando diſpenſarint & ſedulò ad *Farinæ & Scyllarum pondus* ante & poſt *exſiccationem* reflexerint, fateri coguntur; ut proinde *Trochiſci* hi potiùs conſtent ex rebus adjectis quam ipſa *Scylla*, ac conſequenter nihil aut parum admodum de *Scyllæ* qualibuſcumque virtutibus *Theriacæ* communicetur: quod & ulteriùs cuique facilè patebit, qui dignatus fuerit *Scyllam*, vel aliam quamdam *Cepam* exſiccare, ut in *pulverem* redigi queat, dum re ipsâ præter *aridas membranulas* qualitatibus ſuis exutas nil ſibi ſupereſſe deprehendet.

Quibus ritè perpenſis, quis etiamnum adeò Antiquitatis erroribus addictus ac veritati injuriùs exiſtat, qui non optimo jure *Trochiſcos* hos à *Theriacæ compoſitione* arcendos concludat: quodſi tamen hiſce non obſtantibus quis ad *Theriacæ compoſitionem Scyllam* expeteret, huic ſuadeo, ut *Trochiſcis* ipſam *Scyllæ aſſatæ pulpam*, aut *ſuccum* pro medietate *Trochiſcorum* ſubſtituat, pro altera verò parte *Radices Dictamni albi*, qui à quibuſdam *Farinæ Orobi* potiori jure ſubſtituuntur.

Trochiſcos Scylliticos ſequuntur *Trochiſci de Viperis* præclare hujus Compoſitionis *Baſis* ab omnibus habiti, quia autem *Viperæ* in regionibus noſtris deſiderantur, hinc Author in Claſſe decima eorum diſpenſationem non præſcripſit jubens eos aliundè petere, alienæque fidei rem tanti moliminis (qualis eſt *Theriacæ Baſis*) committere. Porrò

Porrò quales & quam efficaces *Trochiſci* nobis aliundè mittantur indagaturi, lubet in eorum *compoſitionis methodum* in Italia loco *Viperis* nativo (ex qua per Europam integram multis ſigillis & teſtimoniis ornati deferuntur) uſitatum paucis inquirere.

Imprimis itaque, ut ex fide Authorum qui *eorum Compoſitioni* ſexcenties interfuerunt, habemus: ſolent Itali *Viperas capite caudâque truncatas* (cui *detruncationi* quidam *flagellasionem* præmittunt, exiſtimantes hac ratione *iratarum Viperarum Virus* totum ad caput rapi) *detracta pelle*, *corde*, *hepate*, *cæteriſque intraneis reſectis*, *Sale Anetoque* adjecto in *aqua communi* decoquere, donec Caro earum à *ſpinis* commodè ſeparari queat, ex qua *Carne molli* ac *tantum non diffluâ* repudiatis *oſſibus*, & à quibuſdam etiam *jure* in quo *Viperæ* decoctæ ſunt, addita *Panis biſcocti* pulveriſati ſufficienti quantitate, *Trochiſcos* efformant: alii autem *Carnem* ſimul cum *juſculo* addito ſufficiente *biſcocto* impaſtant.

Hic eſt proceſſus in *Trochiſcorum Viperinorum compoſitione* Italis celebris, qui modò exactius paulò nobis examinandus, ut rationabiliter dijudicare poſſimus, quidnam emolumenti, quid energiæ è *Trochiſcis* hiſce in *Theriacam* tamquam ejus *Baſi* queat redundare.

Non tamen ob eam rem totam *Viperarum* hiſtoriam annectere animus eſt, ſed ea tantùm principaliter examinare decrevi, quæ in *Trochiſcorum Compoſitione* occurrunt melioris informationis ergo in ordine ad virtutes eorum exactiûs inveſtigandas. Varias inſuper prætermittam quæſtiones ſatis curioſas moveri ſolitas; nimirum an è *Viperis Fœmellæ* (quæ plerumque à veteribus commen-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0165-9

dantur) *Maſculis* pro hac Compoſitione præferendæ? Uti etiam an *Flagellatio* à quibuſdam inſtituta eorum intento ſuperiùs indigitato ſatisfaciat ac contrarium ejus non contingat, ut videmus, in homine, Cane aliiſque Animalibus iratis? Item an *Viperæ Venenoſæ* exiſtant? An *Cor*, *hepar* & *Oſſa à Compoſitione Trochiſcorum* arcenda? Aliaque plurima, quæ hic brevitatis causâ (ne in volumen opuſculum meum excreſcat, tum etiam, quod eorum in hiſce oris propter *Viperarum defectum* reſpectus adeò haberi nequeat) tranſilio. Interim tamen, ſi quis animum ſciendi avidum circa hæc explere cupiat: de iis diſertè egerunt Zwelferus Pharmac: reg: Claſſe 14. Moyſes Charas Regis Britanniæ Medicus in Tractatu ſuo de Theriaca cap. 6. Helmontius, Poterius & alii non pauci.

In noſtrum itaque ſcopum præſertim annotanda venit *Quantitas illa Panis* requiſita, ut *Caro* illa eo mollitiei excocta, ut ab *oſſibus* decidat, ac jam veluti diffluat in mortario diu multumque contuſa in paſtam tenacem abeat *Trochiſcis* efformandis aptam, rejectis interim *Spinis* & *Juſculo* in quo decoctæ ſunt *Viperæ* potiſſimis tamen earum Virtutibus turgido. Quâ ſuper re, ut, quod propriâ experientiâ compertum habeo, fideliter exponam. Accepi *Carnis Anguillæ* tamquam qualitatibus externis *Viperinæ Carni* maximè analogæ ad ſufficientem mollitiem decoctæ *unciam unam*, quam cum *Pane biſcocto* anatina proportione diu multumque contuſam redegi in *Trochiſcos* lento calore exſiccandos.

Poſt *exſiccationem integram*, ita ut in pulverem comminui poſſent, reperi *Anguillæ carnem* ultra *dragmas quinque* diminutam adeoque *Trochiſcorum* pondus nondum *unciam unam* & *dragmas tres* explere,

explere, cum de *Pane*, utpote ante ejus cum *Carne* impaſtationem arido, nihil depereat. 183

Eadem de *Trochiſcis Viperinis* eſt ratio: adeo ut eorum *unciæ tres* pro *Theriacæ* diſpenſatione requiſitæ ultra ſex ad ſummum *dragmas viperinæ carnis* effœtæ & viribus ſuis potiſſimis (utpotè quas in *Juſculum* abjectum pene totas inter coquendum depoſuit) exutæ contineant, reliquas *octodecim* vel *novemdecim dragmas Pane biſcocto* occupante: hæ autem *dragmæ quinque* vel *ſex* quid in *Theriaca* adverſus *Morbos malignos ac peſtilentes*, imò ipſam *Peſtem* ſubſidii præbebit? Cum, (ut dictum eſt ac etiam certum) totam penè ſubſtantiam jam *Juſculo* abjecto impertitæ ſint: quod verum eſſe, nec ſine fundamento prolatum quotidiana nos docet Experientia, dum *Carnium* aliarum *Decocta* ac *Gelatinas Qualitatibus* earum *Nutrivis* ac *Reſtaurativis* abundantiſſimè imprægnari *Carnibus* interim *exſuccis* & tantum non *inſipidis* relictis experimur.

Quodſi præter hæc *Chimiam* conſulamus, *Gelatinas* ac *Decocta Carnium*, *Cornuum* &c. *Principia chimica Salem*, *Spiritum* & *Sulphur* uberiùs præbere, quam ipſam *Carnem*, *Oſſa* &c. *decocta* deprehendemus. Quid inquam ex hac maſſa inerti & velut capite mortuo in *Theriacam* Virium tranſfundetur? Neque ſatis illis eſt *Carnem ſuam Viperinam* præpoſterâ illâ *coctione* enervaſſe, ſed inutili inſuper *biſcocti Panis* additione, quidquid in ea adhuc virium ſupereſſe poteſt, ſuffocant ac extingunt.

Alii tamen non deſunt, qui damnosâ illâ *Juſculi Viperini* abjectione *Trochiſcos* hos non parum *Virtutibus Viperinis* orbari in rem ſuam ſagaciores animadverterunt, qui proinde, ut jacturam hanc

præ-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0167-1

prævenirent quadruplicato & ampliùs fœnore crumenæ ſuæ potius, quam *Trochiſcorum* Viribus exaltandis aut conſervandis, conſuluerunt, addendo nimirum tantum de *Panis biſcocti* pulvere, quantum *Caro Viperina* ſimul cum ſuo *Brodio* capere potis eſt, adeo ut *ſex*, *ſeptem* vel *octo panis unciæ* (pro *Juſculi* copia) vix quidem, ſufficiant pro *unciâ unâ Carnis cum jure ſuò* impaſtandâ: egregia ſanè compenſatio.

Sive igitur una, ſive altera methodo *Trochiſci* hi compoſiti fuerint eandem redolent proſapiam *Biſcocti* potiùs quam *Viperarum qualitates* referentes.

Tali profecto *Baſi* ac *Fundamento Theriaca Medicamentorum Regina* ſuffulta nititur, tali *Præſidio* afflictis ac deploratis ſuccurritur, (ſcilicet) tali *Panacea Morbi maligni ac ipſæ Peſtes* profligantur, nempe *Pane biſcocto* ex Italia magnis ſumptibus ad nos tranſlato.

Quibus ſeveriùs examinatis & penſitatis nonne meritò impoſterum *Trochiſci* hi adulterini ſeu potiùs *biſcocti Panis Libuli* à *Theriacæ compoſitione* arcendi nil minus quam *Viperarum Qualitates* referentes? Deo ſit laus & gloria in noſtris hiſce Regionibus *Pane* abundamus, nec unquam tanta ejus neceſſitate tenemur, ut illum ex oris adeo longinquis tantis ſumptibus ad nos allicere debeamus.

Quæ cum ita ſint, bona Conſcientia & recta ratione inſtructus ſummo Rei publicæ emolimento *ipſas Viperas capite caudaque mutilatas intraneis ſpoliiſque detractis ſale pauco aſperſas & lento calore exſiccatas Trochiſcis* illis fuco ac fraude plenis ad *Theriacæ diſpenſationem debitam* ſubſtituendas exiſtimo, quæ dignam tantæ *Compoſitionis Baſim* conſtituant.

Tertium locum obtinent *Trochiſci hedycroi*, qui, 184
quam ob rem *Theriacæ* particulariter addantur, cum *omnia ejus conſtitutiva* ipſam *Theriacam* ingrediantur, certè non video: præterquam enim quod *Specierum* illarum *Trochiſcatio* inutilis, imo ſtulta planè ſit (cum denuò in *Theriaces compoſitione in pulverem* contundi debeant, maximam *Specierum earum* Vires in *Trochiſcorum exſiccatione* patiuntur detrimentum; cum enim ut plurimum *Naturæ balſamicæ* ac *aromaticæ* exiſtant, quarum Virtutes in *ſubtili partium tenuitate* deliteſcunt, eas pro maxima parte *inter ſiccandum* in auras evaneſcere neceſſum eſt: cum præſertim earum *fuga* non parum promoveatur per *Vinum* pro impaſtatione additum, quod totum in *Trochiſcorum exſiccatione* exhalat, *vehiculi* inſtar ſecum *ſubtiliores Specierum particulas* ſummè exoptandas in auras avehens.

Itaque ne ulterius entia ſine neceſſitate multiplicentur, & quidem tam notabili *Virtutum & Energiæ Specierum* diſpendio, *ſingulas hoſce trochiſcos conſtituentes Species* exactè computato pondere *Theriacæ diſpenſationi* infra adjiciemus.

Quarto loco ſeſe offert *Piper longum*, quod cum *albo & nigro* poſtea ſubſequentibus *quatuor unciarum & ſemis* pondere, acſi *Baſim* conſtituere deberet in hanc *Compoſitionem* tranſcribitur: verùm quo fundamento, quâve ratione illud factum ſit, inquiramus.

Imprimis itaque *Theriaca* tamquam *ſummum Alexiterium* variis *Morborum malignorum* generibus opponitur, unde congruum eſt, ut *præcipua* ejus *ingredientia*, ſeu quæ reliquis *Mole* & *Qualitatibus* eminent in eundem cum *toto Compoſito* ſcopum dirigantur, ac proinde *Alexipharmaca* ſint oportet,

oportet, quæ Qualitates *Piperi calidiſſimo exurentique ingredienti* minùs quadrant: etenim præterquam quod *Vis* ejus *Alexiteria* nullis Authorum teſtimoniis (quod ſcio) confirmetur (ſi enim plurimos Authores de re botanica bene meritos conſulamus, ut Dioſcoridem, Quercitanum, Renodeum, Scroderum, alioſque non paucos, nemo eorum *Piper Qualitate Alexipharmaca* inſignitum aſſerit) *contrariis* etiam *Qualitatibus* ſuſpectum exiſtit; cum enim *Theriaca* in *Morbis malignis*, iiſque utplurimum calidis commendetur, *Piper* præcipuè calore ſuo inflammante impedit, quo minùs ſecurè eâ uti liceat, præſertim eâ *Doſi*, quâ par eſſet *diris* ejuſmodi ac *ferocibus malis* occurrere, cum *eâ*, quâ in hac *compoſitione* adhibetur *quantitate Spiritus accendere*, *exeſtuationes immodicas augere*, *periculoſas inflammationes inducere ac humores exagitare* aptum natum ſit, prætereaque ex nullo indicationum genere aut ſecundùm ullam probatam Praxim *calidiſſimis morbis calidiſſimum exurenſque Piper* opponatur. Ex quibus omnibus meritò concludere me arbitror, impoſterum *Piperum genera*, ſi non penitùs extirpanda multum ſaltem fore diminuenda.

Piperi ſuccedit *Opium* de cujus Natura ac Proprietatibus pauca attigi in Claſſe prima *Titulo de Opio & Camphora* quem Lector benevolus conſulere poteſt. Hic autem peculiariter animadverſum velim *Opium*, ſi non perperam (cum ad cujuſvis præſcribentis nutum illud Medicamento alicui addi poſſit) ſaltem *nimis liberaliter Theriacæ* adjectum fuiſſe, cum nullâ illud *Qualitate Alexipharmaca* præditum ſit, adeoque nec in communem *totius compoſitionis* ſcopum dirigatur, ſed ècontra plurimorum illuſtrium Authorum teſtimoniis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0170-6

moniis, tum etiam quotidiana experientia maximè ſuſpectum ac pernicioſum eſſe comperiamus, adeò quidem ut *paucorum granorum* pondere hominem ægritudinis ſuæ moleſtias oblitum dormientem interimat, præcipuè in iis *Morborum generibus* in quibus *Theriaca* tamquam *ſummum Alexipharmacum & malignorum Morborum* certa profligatrix (ut vulgò, ſed falsò addit) maximò in uſu eſſe deberet: atque hoc uno propter *Malignas ſuas Qualitates*, quibus teſte Scrodero *Contagioſorum ac Deleteriorum Morborum Febriúmque pernicioſarum Virus ac Naturam* æmulatur, impeditur Medicus quo minùs Morbis malignis *debitam Theriacæ Doſim* opponere auſit.

Opium excipit *Agaricus*, de cujus qualitatibus, quoque effectu *Alexipharmacis* addatur, *in animadverſione* in *Mitridatium* videre eſt, undè ne eandem crambem denuò recoquam, eò Lectorem relego hinc ad *Rhabarbarum* tranſeo.

Rhabarbarum quemadmodum ex Authoribus omnibus liquet, ac quotidianâ innoteſcit experientiâ Ventriculum, Inteſtina, vicinaque Viſcera ab humorum faburra per excretionem inferiorem expurgat: unde cum tam veteres quam recentiores Ratione & Praxi compererint, *Purgantia* in *malignis Affectibus* ſine Vitæ manifeſto ſæpe diſcrimine rariſſimè propinari, & in iis affectibus *Theriaca* præſcribatur & commendetur, quæ *manifeſta malignitate* vitæ noſtræ inſidiantur, meritò cum doctiſſimo Quercetano, clariſſimo Zwelfero, aliiſque præcellentis doctrinæ Viris, quibus indiſcriminata illa tot ingredientium farrago ſuſpecta ſemper fuit, concludo, præpoſterâ, imò noxiâ methodo *Rhabarbarum Theriacæ* admiſceri.

Hinc ad *Calcitidem* digredior, quæ, quid in re
ſit

ſit & quas dotes *Theriacæ* tribuat, ut ſedulò inquiramus, lubet Authorum quorumdam, qui de ejus natura & craſi egerunt, teſtimonia mutuare: & cum ab ortu rei alicujus plurimùm ea illuſtretur, ab eo auſpicari animus eſt: de quo Galenus plurimique eum ſecuti Authores teſtibus clariſſimis Charas, Zwelfero, aliiſque non paucis, teſtati ſunt, *Calcitidem Vitrioli ſpeciem ſeu glebam naturalem inter Cupreas plerumque Mineras coloris flavi* reperiri, ac ulteriùs de Qualitatibus ejus agentes, eam *Naturæ corroſivæ, aduſtivæ & ſtypticæ* unanimiter affirmant: Zwelferuſque Pharmacopææ Regiæ Claſſe decima quarta hoc ei elogium inſcribit.

„ Glebam illam (iuquit) dum ante viginti „ annos & quod ſupereſt legitimam Theriaces „ compoſitionem inſtituebam in Collegiis chymicis & Pharmaceuticis Patavii a me habitis arbi„ tris ac præſentibus quam plurimis excellentiſſi„ mis & doctiſſimis viris diverſarum nationum „ præſertim excellentiſſimo Veſlingio, hanc gle„ bam apud mercatores venalem proſtare depre„ hendi: guſtu eam primò exploravi, & reperi eam „ pleniſſimam nauſeâ, cuperoſam, tetrum quid „ exhalare, & redolere, linguam & fauces in tan„ tum ferire, ut impreſſam ejus ideam & olidum „ virus totis diebus è faucibus redoleas, & meo „ calculo exitioſum eſt toxicum, adeò, ut corroſi„ vis ſuis ſpiritibus, & eruginoſa qualitate, ipſum „ Mercurium ſublimatum adæquet, ſi non ſupe„ ret & ſi meæ foret electionis & arbitrii aliquot „ grana Arcenici aut Mercurii ſublimati devo„ randa eligerem, quam dictæ Calcitidis.

Certè tam *exquiſitum noxiumque Virus* a Galeni temporibus ad hunc uſque diem *Theriacæ Antidoto illi univerſali* (ut falsò audit) addi imperatur.

Opro-

O profunda cæcitas & inexcuſabilis imprudentia! ut *Venena* in corpore ſuperarent, aut ex eo eliminarent, *Virulenta Autidotis* eorum addiderunt, timentes forſitan, ne *Virtus Autidotalis*, (quæ in *Theriaca* certè perpauca exiſtit) nimis efficax foret, eam *Venenis* infregerunt: ut *Cor, principaleſque Corporis noſtri partes* adverſus *infeſtum Naturæ hoſtem* tutarentur ac roborarent, *hoſtiles vires* auxerunt.

Aſt dicat fortè aliquis hanc *Calcitidis Virulentiam Calcinatione ad cinereum uſque colorem inſtitutâ* infringi ac enervari.

Quin imò eam *Calcinatione* plurimum intendi firmiter aſſero: ad qnid enim (dicat mihi quis) *Spiritum* & *Oleum efficax è Vitriolo*, aliiſque ſimilibus eliciturus Chymicus *Calcinationem* præmittit? Quam ut *potiori Phlegmate*, quod cætera *Principia* ante diluebat, fugato, *tanto efficaciorem Spiritum & Oleum* nanciſcatur, ut & eventus edocet.

Alii tamen ſunt, qui, vel quod *Calcitidis* veræ copiam non habeant, vel allegatis modo Qualitatibus ab ejus uſu conſcientioſi deterreantur, *Vitriolum ei calcinatum* ſubſtituunt, quod, quamvis *Calcitide* tutius exiſtat, ejuſdem tamen cum illa Naturæ ac Indolis *corroſivum*, *eſcaroticum ſtypticum & emeticum* eſt, proindeque longè à tam *nobili Compoſitione* tamquam ſummè nocivum relegandum. Nec eſt, quod *exiguâ* tantum *Doſi Theriacæ* addi, quis replicet, adeoque ab ea tantùm nocumentùm non metendum. Sed *exiguâ* etiam *Doſi Medicamenta Alexipharmaca* adduntur, & ad quid quæſo nociva adeò, quorum *Malignitatem* apertè novimus, licet etiam *parvâ doſi*, (quæ quamvis non ſemper aperto marte *Virus* ſuum exerant ac in corpus noſtrum debacchentur clandeſtinas

ſtinas tamen nobis ſtruunt inſidias acerbiùs poſtea erupturas) cur inquam talia *Medicamentis roborantibus* ac *malignis & deleteriis qualitatibus contrariis* immiſcentur? Aſt frivola hæc imò abſurda miſſa faciamus ad alia properantes.

Ordine modo ad *alia faſtuoſæ hujus Compoſitionis conſtitutiva* procedendum foret, ac inquirendum, an ea ſaltem generali *Teriacæ* intentioni ſatisfacere apta exiſtant, cum plurima adhuc lateant ingredientia, quæ ne *umbram* quidem *Virtutis Alexipharmacæ* aut *cardiacæ* præ ſe ferunt, interim tamen inutiliter *Theriacæ* pondus augent, *congruorum & Alexipharmacorum Virtutes* infringunt, earumque benignum in nos influxum remorantur: verùm, cum eorum nimia ſit copia, ut, ſi ſingulorum Naturam & proprietates perquirere animus eſſet, diſcurſum meum nimium protraherem, ac præſcriptos mihi brevitatis limites excederem, nec ex numero eorum ſint, quæ *Qualitate Emeticâ, Purgante, Narcoticâ, Exurente, Inflammante ac Virulentâ* nobis infeſta ſint, eis ulterius examinandis ſuperſedeo, veritatis ea ac ſapientiæ amatoribus relinquens, qui juſta rationis ac judicii lance nulli mancipati Magiſtro, ſibique ac omnibus æqui ſingula facilè examinabunt, & quam præpoſterè in Artis & Medicinæ ludibrium, Ægrorum fraudem & Medentium contumeliam, *Purgantia, Adſtringentia, Emetica, Cardiaca, Virulenta, Alexipharmaca, Narcotica, &c.* In *unam* corradantur *Theriacam* animadvertent.

Nec ea hunc in finem prolata quis exiſtimet velim, ac ſi nullius uſûs *Theriaca* in Medina exiſteret, quinimò pluribus eam affectibus non ſine fructu & efficacia exhiberi aſſero: ſed illud præſertim affirmo & confirmo, præterquam quod à ratione

maximè

maximè alienum ſit, *ex tot inter ſe diſſitis & oppoſitis ſpeciebus* velle *uniformem quemdam in omnibus penè Morborum ſpeciebus Antidotum* diſpenſare, id principaliter ab ea non præſtari ad quod ex Natura rei & communi quaſi decreto juſſa huc uſque fuit, id eſt ad *Morbos Malignos* & *ipſa Venena* exſtirpanda, plenè ineptam eſſe, ac in pluribus majori energia intento noſtro ſatisfacturam, niſi ea, quorum ope affectibus iſtis ſuccurritur *Contrariorum Qualitatibus* labefactarentur ac enervarentur; quamquam ejuſmodi proſperi eventus *Opio* potius, quam aliis ingredientibus (utpote quorum perpauca quantitas ſingulam *Theriacæ Doſim* inſigniat) ſint imputandi: ut inſtituto computu cuivis facilè innoteſcet. v. g. pro *Dyſenteria, Lienteria ac aliis Alvi fluxibus immodicis* præſcribantur *Theriacæ dragmæ ſuæ* pro *Doſi*, continebit *Doſis* illa de *Roborantibus*, *Adſtringentibus* & *Balſamicis* & ad hos fluxus ſiſtendos præcipuè deſtinatis ſcilicet.

Opii granum unum ſemis & octavam partem grani,

Roſarum rubrarum,
Cinamomi,
Opobalſami aut *Olei Nucis Moſcatæ expreſſi* ana ferè granum unum,
Coſti odorati,
Radicum Pentaphilli,
Caſſiæ ligneæ,
Croci,
Terebinthinæ,
Thuris,
Mirrhæ ana circiter granum ſemis,
Summitatum hyperici,
Terræ ſigillatæ,
Succi Acaciæ,
Hypociſtidos,

Styracis

Styracis Calamitæ,

Gummi Arabici ana ferè tertiam partem grani & ita fortè nonnullorum aliorum minutias aliquot & atomos, ita ut univerſim computatis omnibus *unam Theriacæ Doſim*, eamque *dragmarum duarum*, nobilitent in *prædictis affectibus* Ingredientium conducibilium *grana circiter decem* vel *duodecim*: cætera autem omnia partim gratis, & inutiliter, partim verò noxiè pro *prædictis affectibus* adjecta ſunt.

Quodſi conformiter ſubducto calculo inquiramus quantum *unam Theriacæ Doſim* v. g. pro *Petechiis*, *Peſte* ac *Febribos malignis* Ingredientium conducibilium ut *Cordialium*, *Roborantium*, *eorumque quæ Specifica qualitate* diris talium Morborum inſultibus obviant, nobilitet: ſumendo pro *Doſi* etiam *duas dragmas*, & ſi ultra *unam* vix aſcendatur, reperiemus.

Trochiſcorum Viperinorum (quos pro maxima parte *pane biſcocto* conſtare, ante demonſtravi) granum ſemis & octavam partem grani,

Scordii,

Cinamomi,

Opobalſami, ſeu *Olei Nucis Moſcatæ expreſſi* ana ferè granum unum,

Coſti,

Foliorum Dictamni,

Caſſiæ ligneæ,

Croci,

Mirrhæ, ana circiter granum ſemis,

Radicum Gentianæ,

Meu,

Valerianæ,

Foliorum Malobatri, vel *Corticum Citri*,

Carpobalſami, vel *Baccarum Juniperi*,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0176-1
DFG

188

Amomi, ſeu *Acori*,
Seminis Cardamomi minoris,
Summitatum Centauri minoris ana tertiam partem grani.

Atque ita nonnullorum aliorum minuta quædam in toto autem præterpropter *duodecim* vel *tredecim grana*; reliquorum verò maximam partem in *Morbis malignis adverſa* potius & *repugnantia*, qnam *faventia* deprehendemus.

Quibus attentè conſideratis, quid effectûs ex enumeratis Cardiacorum, *Roborantium & Alexiteriorum minutiis* (etſi omnia in eundem effectum conſpirare ſupponamus) in *Morbis maligniſſimis* ac *ipſa Peſte* quorum ſæpe breviſſima ſunt tempora & acutiſſimus decurrendi modus, quid inquam portenti præſtolemur, cum ea non tantùm viribus & numero ſint exigua, ſed præterea ab aliis pluribus in *Morbis malignis* planè *noxiis & exitioſis ingredientibus*, utpote *Venenatis*, *Narcoticis*, *Purgantibus*, *Emeticis*, *&c.* plurimum retardentur & impediantur: quod, ſi in *duplicata Doſi* ſcilicet *dragmarum duarum* (cum ultrà *unam* in ſimilibus affectibus aſcendere propter *Opium* piaculo ſit) hæ difficultates occurrant, nec ſperatos effectus obtinere liceat, quid à *ſimplici*, ſeu *dragma una*, prædictorum ingredientium (quorum quodlibet ad *dragmam unam* & quidem iterato exhiberi poſſet) ſummatim tantum *grana ſex* vel *ſeptem* continente expectabimus?

Quibus omnibus maturè perpenſis, quis eſt, qui præjudiciis non præoccupatus ſolique Veritati mancipatus *Theriacam* hanc maxima reformatione egere non inferat, ex eaque multa eliminanda, plura adhuc immutanda concludat; his *Trochiſcos Viperinos*, *Hedycroi*, *Piper*, *Opium & alia*

 plura

plura; illis *Agaricum Rhabarbarum & Calcitidem* tamquam ſu mmè noxia accenſendo.

Attamen, cum (ut pluries dixi) circa *Compoſitionum Reformationem* (cujus multæ ſatis indigæ ſunt) arbitrii mei eſſe nolim, aliis ad quos id muneris magis pertinet, pleniùs peragendam reformationem relinquo: mihi ſuffecerit Veritatis ſtudioſis præcipuos earum errores indigitaſſe: interim quod meum eſt circa *Theriacæ legitimam Compoſitionem* breviter expediam, in quâ, quamquam propoſiti mei limites excedere videar *Rhabarbarum, Agaricum & Virulentæ natnræ Calcitidem* ab ea ſecludendo, & pauca circa *Trochiſcos Viperinos, Scylliticos & Hedycroi* immutando; tamen id mihi nemo vitio vertet, qui ſedulò conſideraverit ex præfatis priora non niſi cum ſummo nocumento, poſteriora non ſine ſummo adulterio, fraude ac errore addi *Theriacæ* poſſe: ſi cui tamen ſufficientibus rationibus ſuperiùs allatis non commoto ſine ulla ratione ac judicio Veterum Authoritas adeò ſancta ſit, ut eorum placita oculatæ Veritati præferat, & ne ad latum unguem ab eis recedere velit, ei in errore ſuo ac *veteri Theriacæ deſcriptione & compoſitione* pertinaciter perſiſtere liberum ſit: ego pro Conſcientia mea & obligationis vinculo, quibus Chriſtianæ charitati obſtrictus ſum pro ægroti Proximi emolumento liberè Veritatis partes acturus ſum, & quamvis pauca in ſequenti *Theriaces* compoſitione ac conſtructione immutata ſint, ne tamen quis exiſtimet idcirco me *cæterorum ingredientium confuſam farraginem* approbare; cum enim nimis ab intento meo deflectere verear, ſi totam compoſitionem, (ut decet) expoliendam ſuſcepiſſem, inteſtino proximi amoris ſtudio compulſus *pauca, eaque maximè nocua & ab Antidoti*

Natura

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0178-2

Natura aliena, partim exterſi, eorumque loco *utilium Doſim* auxi, partim eis meliora ſubſtitui, cætera intacta relinquens, cum ea adeò pernicioſa non exiſtant.

Itaque à diſpenſatione ejus ducatur exordium: & quidem, ſi *Scyllæ* tantopere in *Theriaca* expetantur, ut ob *Virtutes* earum *inciſivas*. *attenuantes & deterſivas* ab Authoribus eis adſcriptas illis carere nolis.

℞ *Pulpæ Scyllæ* cum pane in clibano coctæ,
Radicum Dictamni albi (quæ ad *Trochiſcos Scylliticos* alias loco *Oroborum* expetuntur) ana uncias tres,
Carnis Viperinæ uncias quatuor ſemis, (loco unciæ unius & ſemis *Agarici*, & trium unciarum veteris compoſitionis.)
Piperis longi,
Opii præparati ana uncias tres,
Radicum Ireos Florentinæ unciam unam ſemis,
Comarum Scordii uncias duas & dragmas duas,
(Loco *Rhabarbari* dragmarum ſex)
Roſarum rubrarum exungulatarum unciam unam ſemis,
Cinamomi,
Opobalſami vel *Olei Nucis Moſcatæ expreſſi* ana unciam unam & dragmas quinque,
Succi Liqueritiæ,
Seminis Napi agreſtis ana unciam unam ſemis,
Radicum Coſti odorati,
Scœnanti ana dragmas ſeptem,
Radicum Quinquefolii,
Zingiberis,
Foliorum Dictamni cretici,
Calamintæ montanæ,
Praſſii albi,

Stæchados arabicæ,
Piperis albi, *nigri* (quæ merito omitti poſſent)
Seminis Petrocelini macedonici,
Terebinthinæ cypriæ,
Thuris maſculi ana dragmas ſex,
Spicæ nardi indicæ,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Croci britannici,
Mirrhæ electæ,
Amomi, vel *Acori* ana unciam unam,
Radicum Gentianæ,
Meu athamantici vel *Radicum Angelicæ* ana dragmas ſex, (loco *Calcitidis* unciæ ſemis addo duabus præcedentibus ſingulis dragmas duas)
Radicum Valerianæ majoris dragmas quinque,
Foliorum Malobatri, aut *Corticum exteriorum Citri recentium* dragmas decem,
Nardi celticæ,
Polii montani,
Comarum Camædrios,
Chamæpytios,
Summitatum floreſcentium hyperici,
Carpobalſami vel *Baccarum juniperi*,
Seminis Aniſi,
Ammios,
Cardamomi minoris,
Fœniculi,
Seſeleos maſſilienſis,
Thlaſpios,
Terræ ſigillatæ orientalis,
Succi Acaciæ,
Hypociſtidos,
Reſinæ Styracis in confectione *Mitridatii* edoctæ,

Gummi

Gummi arabici,
Sagapeni, ana unciam ſemis,
Radicum Ariſtologiæ tenuis,
Summitatum Centauri minoris,
Seminis Dauci cretici vel *noſtratis*,
Bituminis judaici,
Galbani in guttis,
Opoponacis in guttis,
Caſtorei ana dragmas duas,
Ligni Aloes dragmam unam,
Aſpalthi vel *Santali citrini*,
Radicum aſari,
Foliorum majoranæ,
Mari veri ana ſcrupulos duos,
Maſtichis ſcrupulum unum,
Mellis puriſſimi numquam cocti, ſed debitè collecti (ut ſuperiùs inſinuavi) libras quatuordecim, uncias quinque & dragmas duas.

Præparatio in hunc modum procedat. Primò omnibus ritè mundatis & diſpenſatis, ea quæ *ſicca* ſunt, & contuſionem ferunt mediante trituratione ac cribratione in *pulverem tenuem* redigantur, inter contundendum, *aridis oleoſa* (qualia ſunt pleraque *Semina*) variatim commiſcendo, ut perito artifici notum exiſtit : ſequentia tamen per ſe ſingula teri expetunt, nempè *Crocus Britannicus*, & *Terra ſigillata*, quæ poſtrema ſubtiliſſimè levigata aliis pulveribus commiſceatur. *Sagapenum*, *Galbanum*, & *Opoponax* non ita difficulter tempore præſertim Hiberno *in pulverem* ſe teri patiuntur, unde conſultum duco, ut ea pariter particulatim in pulverem terantur ac cribro tranſmittantur, ut ita à fœcibus, quas continent liberata poſtea *præſtantiorum ſuarum particularum per coctionem*, *colaturam*, &c. jacturam pati non cogantur : ut poſtea ulteriùs patebit.

 Porrò

Porrò circa *ſiccorum* contuſionem notandum particulariter, inter ea *Scœnantum & ſpicam Nardi Indicam* difficillimè triturationem admittere, quin totam *Pulveris & Electuarii* poſtea maſſam interſperſis minutiſſimis *Capillamentis*, & per diuturnam contuſionem *ſquammulis* à mortario & piſtillo abraſis inæqualem reddant & defœdent. Unde niſi hoc incommodum incurrere velimus cum iis peculiari methodo procedendum eſt, quæ mihi optima videtur ſequens.

Accipe *Scœnanti* dragmas ſeptem.

Spicæ Nardi Indicæ unciam unam, quibus etiam adde.

Corticum Citri recentium extimorum dragmas decem (ſi *Foliis Malobatri* ſubſtituendi) quibus minutum inciſis affunde *Vini malvatici* libram unam vel amplius, & poſt diariam digeſtionem in B. M. abſtrahe ad ſiccitatem: *Aqua ſpirituoſa* prolecta ſervetur ad uſum poſtea inſinuandum. Interim *Species* in fundo cucurbitæ *relictæ affuſâ aquæ communis* ſufficienti quantitate coquantur & exprimantur, decoctum colatum ad *Extracti* mollioris conſiſtentiam evaporetur *Theriacæ* poſtea addendum.

Porrò alia, quæ contuſionem propter tenacitatem ſuam aut humiditatem reſpuunt vel niſi particulariter ſoluta virtutes ſuas haud ita diffundunt, *appropriato & homogeneo* quæque *menſtruo* ſunt diſſolvenda: ut *Reſina Styracis*, & *Opobalſamum* (ſi adſit) *Terebinthinâ clarâ & purâ* in vaſe probè ecto calore leni liquentur. *Gummi Sagapenum, Galbanum, Opoponax & Mirrha* priùs *pulveriſata Aquá ſpirituoſâ* ſuperiùs aſſervatâ aut *vino Malvatico* diluantur ac veluti ſolvantur ad pulticulæ formam leni calore ac vaſe pariter clauſo, ne quid de

partibus

partibus Gummatum aut *Vini ſpirituoſis*, *balſamicis* ac *ſummè deſideratis* evadat. *Opium*, *Succus Liquer itiæ*, *Acaciæ*, *Hypociſtidis*, ſicut & *extractum è Scænanto*, *Spica* & *Corticibus Citri* ſuperius paratum *Vino malvatico*, aut *Aqua prædicta ſpirituoſa* (ſi adhuc ſuperſit) diſſolvantur ac ultimò iis *Crocus* immiſceatur & cum iis diluatur. Quodſi *Oleum Nucis Moſcatæ Opobalſami* vices ſupplere debeat, illud cum *Terebinthina* dexterè jungatur.

Hiſce igitur omnibus probè paratis & diſpoſitis, fiat omnium mixtura & perfecta *Theriacæ* elaboratio in modum ſequentem.

Imprimis ad manum ſit *Ahenum ſtanno obductum* quantitatis *Theriacæ* conficiendæ capax, cui leni calori ſuperpoſito iniice *Mellis electi craſſi* & nonnihil calefacti libram unam aut amplius, quo ſpatulâ aut piſtillo ligneo circumducto ac vaſis fundo ac lateribus oblitis, inſtilla ſub continua agitatione & circumductione nonnihil de *Opobalſamo* aut *Oleo Nucis Moſcatæ*, *Reſina Styracis & Terebinthinâ* jamtum commixtis in particulari vaſe & modico calore detentis, mox *Pulverum unitorum* aliquantum per cribrum inſpergatur, dein etiam *Gummatum* in particulari etiam vaſe & calore modico detentorum aliquid addatur, his iterum ſuccedat *Mellis ſubcalidi* portio, hinc *Pulveres*, poſtea iterum *Terebenthina* cum admixtis, quæ denuo *Gummata*, *Mel & Pulveres* alternatim excipiant, donec horum perfecta unio & indiſſolubilis nexus continuò agitando in moderatiſſimo calore acquiratur: demum *Opium reliquique ſucci ſoluti & Crocus* iis commixtus, *Pulveribus & Melle* alternatim intermixtis addantur ſub continua agitatione ad perfectiſſimam omnium unionem. Ac ita obtinebitur *Theriaca* præcedentem, & veterum

more

more paratam multis paraſangis exſuperans: ſique à *Theriaca* ad mentem veterum cum *Calcitide*, *Agarico*, *&c.* compoſitâ boni quippiam in *Morbillis*, *Petechiis*, aliiſque *Febribus malignis* ac *ipſa Peſte* præſtolari poſſimus, potiori id jure in *Theriaca* modò deſcripta exulantibus *nocivis Ingredientibus* ac pro earum pondere *Alexipharmacis* adauctis, fas eſſe, exiſtimo: quamquam eam meliorem in ordinem ac utiliorem redigi poſſe majori Ægrorum ſolatio & Medentium honore ac ſecuritate, non eam inficias: *Opium* nimirum & *Piper* (ut dixi) vel excludendo, vel ſaltem minuendo, *variiſque aliis Ingredientibus Virtute Alexipharmaca & Roborante deſtitutis* alia *convenientiora* ſurrogando: ut ſunt *Radices Contrariervæ*, *Serpentariæ*, *Bardanæ*, *Petaſitidis*, *&c.* quæ non parum *Virtutem Theriacæ Alexipharmacam & Diaphoreticam* intenderent: verùm ſatis modò mihi eſt facem ad veritatem prætuliſſe. Unum adhuc ſupereſt, quod tacitus præterire nequeo: nimirum ubi *cætera Compoſita omnia recentia* expetuntur ac *antiqua* tamquam *viribus exhauſta & exoleta* reprobantur, *una Theriaca* communi errore à *vetuſtate* commendetur, quod, quo motivo fiat, certè non video: ecquid enim ei per *Longævitatem* accedit? Quid poſt *ſex*, *ſeptem*, aut *plures* etiam *annos* accipit, & unde, quod primo Confectionis die non habuit? Nihil utique: nihil enim inter primum compoſitionis diem & annos etiam octo vel decem eidem additur, quod vires ejus queat exaltare, (niſi illæ etiam plurimum atterantur) nec quidquam ei demitur, quod virtutes ejus potuiſſet retardare, uti irrefragabilis experientia indies nobis demonſtrat, vel *ipſis Opii Qualitatibus* quæ ſive in *veteri*, ſive *recenti Theriaca* æquè efficaces deprehen-

henduntur, rei veritatem manifeſtè comprobantibus: ut proindè perperam & ſine ratione *Theriaca* præ *cæteris Compoſitis à vetuſtate* commendetur. Potuiſſem quidem plura in hanc rem argumenta in lucem protuliſſe, verùm cum brevitatem ubique affectem, hæc miſſa facio, ad alia digrediens, pluribus, quæ hucuſque protuli; ubi temporis & occaſionis neceſſitas poſtulare videbitur, confirmare paratus.

Ne tamen quid curioſo cuipiam ac ſedulo proximorum ſanitatis amatori deſit, aliam prius proponam *Theriacam*, eam, quæ jam proximè deſcripta eſt, nedum veterum more elaboratam *in Qualitatibus Sudoriferis*, *Roborantibus*, *Alexipharmacis* immenſum ſuperantem ac in *Febribus malignis ac ipſa Peſte*, tum præſervativè, tum curativè præſtantiſſimam.

℞ *Viperarum ab exuviis mundatarum & debitè ſiccataram* uncias ſex,
Foliorum Scordii uncias quatuor,
Ruthæ,
Salviæ,
Croci optimi,
Mirrhæ,
Unicornu marini ana uncias duas,
Radicum Angelicæ,
Calami aromatici,
Contrarievæ,
Imperatoriæ,
Gentianæ,
Petaſitidis,
Serpentariæ,
Valerianæ majoris ana unciam unam & ſemis,

Semi-

Seminum Cardamomi excorticati,
Citri excorticatorum
Napi,
Fœniculi,
Petrocelini Macedonici,
Seſeleos maſſilienſis ana unciam ſemis,
Ligni Aloes,
Reſinæ Styracis calamitæ ana nnciam unam,
Oleorum ſtillatitiorum Macis,
Cinamomi ana dragmam unam,
Corticum Citri,
Aurantiorum ana dragmas duas,
Juniperi unciam unam,
Spiritûs Baccarum ſambuci uncias duas,
Extractorum Cardui benedicti,
Galegæ,
Bardanæ,
Scorſioneræ,
Florum Centauri minoris ana uncias duas,
Decocti Baccarum Juniperi lento igne ad mellis conſiſtentiam redacti,
Mellis optimi debito modo collecti numquam deſpumati ana libras quatuor & ſemis.

Compoſitio procedat in modum ſequentem.

Primò *Radices*, *Herbæ*, *Semina*, *&c.* debitè mundata redigantur in pulverem tenuiſſimum.

Dein *Reſina Styracis* lento calore liqueſcat in *Oleis præſcriptis* in Cucurbitula demiſſa Alembico cæco munita, juncturis exactè occluſis.

Tertiò *Extracta* moderato calori impoſita invicem exactè miſceantur, tepidis addendo *Spiritûs Baccarum Sambuci* uncias duas vel amplius pro

Mellis

Mellis duritie majore vel minore, quibus commixtis dilue nonnihil *Crocum* ſeorſim in pulverem redactum.

His peractis ad manum ſit Pelvis nitida mixtioni accommoda, cui primùm partem *Mellis tepidi* immitte, eoque fundus ac latera obducantur: dein aliquid *Reſinæ Styracis in Oleis prædictis liquatæ* ac interim in tepore detentæ guttatim inſtilletur: mox iterum *Mellis* pauxillum, poſtea *pulverum* nonnihil inſpergatur, piſtillum ligneum continuò circumducendo, dein iterum *Reſina cum Oleis* immiſceatur alternatim nunc hujus, nunc illius partem immittendo, donec exacta inter *Reſinam prædictam*, & *Mel* unio intercedat: quâ obtentâ, *extracta* modo ſupradicto unita & *Decocto juniperi ſpiſſo* commixta in tepore interim detenta cum reliquo *Melle* paulatim addantur, Piſtillum identidem agitando & circumgyrando ad perfectiſſimam omnium mixturam, ac *Electuarium* recundatur in vaſe optimè obturato ad uſus præſtantiſſimos, cui pro rei exigentia nunc *Opium*, modò *Lapis Bezoar Orientalis vel Occidentalis* (quibus tamen parum fido) modò verò *Camphora* aut *alius quiſpiam ſal volatilis* optimo cum ſucceſſu poterit permiſceri.

In Theriacam Diateſſaron & Electuarium è Succo Ruthæ deſcripta paginâ 78.

IN horum duorum præparatione nihil ſeſe offert difficultatis ac animadverſione dignum; illud tamen in eorum compoſitione adverto ea *Theriacam* veterum more diſpenſatam, tùm *ingredientium conſonantium harmonia*, tum in *operando*, ſive *præſervativè*, ſive *curativè efficacia* plurimum exceſſura.

ANI-

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM NONAM

Agentem de pilulis, extractis & eſſentiis.

*Primò in Pilulas Aleophanginas deſcritas pag.*79.

NUnc ſeſe offerunt *Pilulæ* ac ſi dixeris *parvæ Pilæ*, Medicamenti genus hodie valde familiare ob commodum ſuum, quo *Medicamenta* etiam *ingratiſſima* ſub hac forma ſine nauſea & difficultate Ægris ingeruntur: ſummopere igitur allaborandum, ut tales proſtent, quæ *Ingredientium ſuorum Viribus integris nobilitatæ* promiſſos queant præſtare effectus, quod certè non in *omnibus Claſſis hujus Compoſitionibus* obſervatum eſt, & paſſim reflecto, tum in hiſce, tum aliùs generis *Compoſitionibus*, quò ſimpliciores præſcribuntur, eò concinniores & erroribus minus obnoxias exiſtere, ubi è contra eæ in quibus Authores ingredientium exquiſita pluralitate Ingenii ſui dexteritatem oſtentare voluerunt pluribus erroribus, ne dicam abſurditatibus defœdantur, quod imprimis in hiſce *Aleophanginis* occurrit, in quibus, præterquam quod *vis Aloes laxativa* injectis quaſi à *Speciebus adſtringentibus & roborantibus* vinculis retardetur & ligetur: dum *Aloem Specierum aramaticarum & Balſamicarum Qualitatibus*

totis

totis viribus imbuere annituntur, penitùs eam ſpoliant, eaſdem inter *evaporationem & exſiccationem* in auras cum *Spiritu Vini commodiſſimo talium vehiculo* prodigè fugando, aut cum *Spiritu Vini* eaſdem illi unitas ſimul abſtrahendo, *Pilularum maſſâ Specierum partibus terreſtrioribus* tantùm imbutâ: quibus, ut obviam eatur inutilibus ac nocuis rerum diſpendiis, alteruter ex modis ſequentibus eligatur.

℞. *Cardamomi minoris*,
Calami aromatici,
Scœnanti,
Ligni Aloes,
Santali citrini,
Roſarum rubrarum exungulatarum ana unciam ſemis, groſſo modo contuſis affunde in cucurbita vitrea *Vini albi generoſi* uncias quatuor vel quinque, agglutinatoque capitello poſt diariam digeſtionem elice in B. M. *Aquam ſpirituoſam* ad Specierum ſiccitatem, quod cohobatione inſtitutâ (quo meliùs *rerum aromaticarum partes balſamicæ vino* uniantur) reiteretur ad omnimodam ſiccitatem. Aridas in fundo cucurbitæ *relictas ſpecies* affusâ *aquæ communis* quantitate ſufficiente coque ad remanentiam circiter libræ unius & ſemis, in colatura dilue *Aloes ſocotrinæ puriſſimæ pulveriſatæ, per cribrum prius trajectæ* libram unam, quam iterum lento igne exſicca, ut denuò in *Pulverem* teratur cui *Pulveriſatæ* adde ac diligenter immiſce

Olei ſtillatitii Cinamomi guttas ſex,
Nucis Moſcatæ,
Macis,
Garyophyllorum ana guttas XII.
Juniperi ſcrupulum unum,
Abſynthii guttas quindecim,

Balſami

Balſami Peruviani dragmam unam: hiſce peractis ac interim ſepoſitis,

℞. *Pulveris Maſtichis*,
Mirrhæ ana unciam ſemis,
Croci dragmas duas & mortario immiſſa dilue ac quodammodo diſſolve *Aqua ſpirituoſa à Speciebus aromaticis ac balſamicis* ſuperiùs *prolectâ*, ſucceſſivè *dilutis* addendo & diligenter miſcendo *Aloem pulveriſatam* & *Aromatum Oleis balſamicis ac ipſo Balſamo Peruviano* imbutam, donec omnibus exactè commixtis & impaſtatis *Maſſa Pilularum* exurgat non nimis dura. Si quid *Aquæ ſpirituoſæ* poſt *Pilularum impaſtationem* reliquum ſit, illud ſeparatim aſſervari poterit, ut quoties ex maſſa *Boli* parandi præſcribuntur, aut ex ea tractu temporis aridiore addita *Pilulæ* efformandæ, uſui eſſe poſſit: unde *Vini Quantitatem Aromatibus affundendam* non ita exactè determinavi.

Alter modus eſt hic.

℞. *ſpecierum præſcriptarum partem mediam*, eamque in *pulverem tenuiſſimum* redactam interim ſerva: *alteri parti groſsè contuſæ* in cucurbita vitrea affunde *Vini generoſi* uncias quatuor vel quinque & poſt diariam digeſtionem abſtrahe, cohoba, iterumque abſtrahe, & reliquias *affusâ aquâ* coque, *colaturam cum Aloe* dilue, exſicca & paulatim *Aloem* ſpecierum præſcriptarum prædicto pulvere aromatiſatam addendo, (ut in præcedenti methodo dictum) cum *Aqua aromatica prolecta* totam impaſta, & in veſica oleo amygdalarum dulcium oblita diligenter repone. Prior tamen hoc ſecundo modo præſtantior exiſtit, utpote quo *maſſa in pondere* non accreſcit, ut fit in hoc ſecundo.

Hiſce ſaltem modis obtinebis *Pilulas Aroma-*

tum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0190-1
DFG

tum Virtutibus abundè imprægnatas, neque mutilas ut alias Author præſcribit.

In Pilulas Cochias deſcriptas paginâ 80.

P*Ilularum Cochiarum*, uti & aliarum ſimilium facilis eſt præparatio, notandum tamen, tum in his, tum in aliis, quæ *Aloem*, aut ejus vice *Gummata* ſive *Succos concretos* pro *Pilularum corpore* efformando recipiunt, pro exactiore maſſæ incorporatione, ea prius in mortario calido cum *Syrupo*, *Succo*, aut *aliis liquoribus* ſpecierum impaſtationi, deſtinatis aliquamdiu nutrienda & quodammodo diſſolvenda: quod, ut commodiùs in *Pilulis Cochiis* fiat, *Species hieræ picræ* in ſua conſtitutiva reſolvi.

℞. *Cinamomi acuti*,
Macis,
Aſari,
Spicæ Indicæ,
Croci,
Maſtichis ana grana viginti quinque,
Aloes dragmas ſeptem ſemis,
Trochiſcorum Alhandali, dragmas tres & ſcrupulum unum,
Diagridii dragmas duas ſemis,
Turpeti,
Stœchados ana dragmas quinque, & ex ſubtiliter pulueriſatis omnibus cum *Syrupo de ſtœchade* modo inſinuato fiat maſſa.

Nota, prædicta pro impaſtatione requirere Syrupi uncias duas & ſcrupulos quatuor.

In Pilulas fœtidas deſcriptas paginâ 80.

C*Irca has Pilulas* peculiariter monet Author *Succum Porri* priùs cum pauco *Melle* coquen-

quendum: quo autem motivo, ignoro, quam ut *fugatis Porri partibus volatilioribus, attenuantibus, & inciſivis* (quibus *Porrum* dotatum eſt) ſummè alioquin in hiſce *Pilulis* expetendis *maſſam* depauperet. Inſtituatur igitur *harum Pilularum maſſæ* elaboratio modo ſuperiùs indigitato, nimirum *Gummi pulveriſata* cum *Succo Porri* per ſubſidentiam nonnihil depurato, & pauco *Melle* (ſi lubet) in mortario nonnihil calefacto diluantur ad *Pultis craſſioris* conſiſtentiam, reliqua deinde pulveriſata & optimè mixta ſenſim impaſtando.

In Pilulas de Nitro & Ruffi deſcriptas paginâ 81

CIrcà *Pilulas* has præ reliquis peculiare nihil eſt quod moneam, illud tamen occaſione *Pilularum Ruffi*, tum circa eas, tum alias omnes Animadvertendum, illas quæ cum *Syrupis* impaſtantur tractu temporis præ reliquis cum *Succis Melle*, aut decocto aliquo compoſitis citius indureſcere ac arefieri, proindeque, ſi *maſſam in debita forma* (ut convenit) ſervare animus eſt, oportebit eam aliquoties *reiteratâ Syrupi additione* renovare, antequam conſumpta ſit, unde non parùm *maſſæ pondus* accreſcet nec minus ejus *efficacia* decreſcet.

In Pilulas ſpleneticas deſcriptas paginâ 82.

IN his imprimis notandum, *decoctum* præſcriptum *Foliis ſennæ* legitimè & ſufficienter extrahendis impar exiſtere, utpotè jamtum abundè *Radicum, Corticum, & Herbarum tinctura* imprægnatum. Deinde *Semen Aniſi, Fœniculi & ſimilia Semina Oleo aromatico prædita* (uti non ſemel inculcavi) *Decoctionibus* ſiniſtrè ſubjici: unde conſultum duco *Folia Sennæ* abſque *Seminibus* poſt

pri-

primam cum decocto infuſionem, *coctionem & expreſſionem*, *affuſa aqua ſimplici*, & quidem iterato (ſi opus fuerit) infundere, coquere & exprimere *ad omnimodam Virtutis Catharticæ extractionem*, ac demùm omnibus junctim evaporatis & ad *Pilularum conſiſtentiam* non nimis duram redactis inter malaxandum *Olei Aniſi & Fœniculi* ana ſcrupulum unum addere.

In Pilulas de Cynogloſſa deſcriptas pag. 82.

IN *Pilulis de Cynogloſſa Opium* minùs rectè cum *Syrupo* ſubigendum præcipit Author, niſi fortè ad eam ariditatem redactum ſit, ut in pulverem tenuem teri poſſit (quod tamen ordinariò non contingit) cum facilè alioquin *pars* aliqua *indiſſoluta* remanens, *maſſam* quoad *Opii qualitates & effectus* inæqualem reddat cum manifeſto tum Ægrorum ſalutis, tum Medici famæ diſcrimine, unde tutius futurum exiſtimo *Opium Aquæ catharralis* particula leni calore diſſolvere, ac dein cum *ſoluto* additis *aliorum ingredientium optimè mixtis pulveribus* continuò contundendo *maſſam* effingere: quodſi *Aqua catharralis* pro ſolutione *Opii* addita non ſuffecerit ad maſſam juſtæ conſiſtentiæ efformandam, tantillum *Mellis*, quo meliùs ab exſiccatione præſervetur, addi poterit.

In Extractum Catholicum & Pilularum Cochiarum deſcriptum paginâ 82.

E*xtractum Catholicum*, quod attinet: quorſum in ejus compoſitione ſimul cum *Speciebus Purgantibus Specierum Diarrhodonis* ſemi uncia præſcribatur, anceps hæreo: ſive enim intentum in *Purgantium Correctionem*, ſive in *compoſiti Aromatiſationem* gratitudinis ergo dirigatur, utrimque in

ſcopulum allidit: etenim, ut eam præteream quæſtionem, quæ agitat, an *Purgantia Aromatum & adſtringentium* additione corrigantur, non exigua *earum particularum*, quibus *Correctio* perficeretur pars, ſubſequenti *Extracti evaporatione* in auras fugatur: neque *Aromatiſationis* ergo quidquam efficere poſſunt, cùm *ſubtilior* earum *portio* ac *Oleum balſamicum* in quibus potiſſima earum vis ac gratia deliteſcit, *Tincturam* evaporando, penitùs pereat.

Sileo nonnulla *iis Speciebus* contineri, quæ ne hilum quidem Qualitatum ſuarum *Spiritui Vini* impertiuntur, etſi annum integrum cum eo infuſa ſteterint: ſi igitur *Aromatiſatio* neceſſariò requiratur, præſtantiùs id multò efficietur poſt *Extracti ſufficientem evaporationem*, *maſſam* cum *Aromatum Species Diarrhodonis Ingredientium aliquot Oleorum* guttulis malaxare, ac ita uſui recondere.

Eodem modo parari poſſunt *Extracta Pilularum Cochiarum* & ſimilium.

In Laudanum Opiatum deſcriptum paginâ 83.

QUàm malè in hujus *Laudani Opiati* præparatione condiatur *Opium*, ut inde *Laudani* nomen mereatur, ex præcedenti in *Extractum Catholicum* Animadverſione propatulum eſt; cùm in hac non minùs quam in illa per inſulſam illam *partium Balſamicarum Evaporationem* compoſitum *præcipuis Specierum aromaticarum Qualitatibus* fruſtretur.

Dudum quidem & ſedulò mecum penſitavi, quomodo *Specierum Diambræ* virtutes totæ ſartæ tectæ ſalvâ *eadem Doſis Laudani proportione*, *Opio* imprimi poſſent; aſt quocumque me verti, & quidquid machinatus ſim, evitare nullatenus potui, quin ſaltem aliquæ earum deperirent, eæ tamen

men minoris conſiderationis, ſervatis (quantùm fieri potuit) *particulis* earum *Balſamicis*, *roborantibus & cardiacis*, quæ alioquin penè omnes cuſtodito *terreſtri Specierum Extracto* ſecundùm Authoris præſcriptam methodum tenues evaneſcunt in auras. Procedatur igitur ad genuinam ejus præparationem modo ſequenti.

℞ *Croci optimi* dragmam unam,
Radicum Zedoariæ, grana viginti tria,
Zingiberis grana tredecim,
Santali citrini,
Piperis ana ſcrupulum unum,
Spicæ indicæ ſcrupulum ſemis: ex inciſis & contuſis cum ſufficienti quantitate *Spiritus Vini* extrahe digerendo omnem *Tincturam*, ac in colatura filtrata diſſolve *Opii præparati* laminatim inciſi unciam unam: dein deſtillando aut evaporando evoca *Spiritum Vini* ad *conſiſtentiam Pilularum* non nimis duram. Tum

℞ *Ambræ griſeæ* grana duodecim, diſſolve nonnihil triturando in mortariolo,
Olei ſtillatitii Cinamomi,
Macis ana guttis quatuor,
Garyophyllorum,
Nucis Moſcatæ ana guttis quinque, eiſque ſenſim adde & immiſce ſequentia ſubtiliſſimè pulveriſata, nimirùm,
Seminis Cardamomi minoris,
Majoris ana mundatorum ſcrupulum ſemis,
Ligni Aloës ſcrupulum unum,
Caſtorei dragmam ſemis.

Pulverem hunc *Oleis aromaticis* ac *Ambrâ griſeâ* imbutum *Opio ſuperiorum Specierum Extracto* impragnato & etiamnum tepido exactiſſimè immiſ-

ce, manibuſque maſſam malaxa, ac ita paratum erit *Laudanum Opiatum* præſtantiſſimum *potiſſimis Specierum Diambræ Virtutibus* ſaturatum effectu ſuo nomen adæquans.

In Reſinas deſcriptas paginâ 83.

R*Eſinarum* præparatio modo quidem præſcripto inſtitui poteſt; verùm ſumptuum ſublevandorum gratiâ peractis infuſionibus poterit deſtillationis medio *Spiritus Vini* colligi aliis poſtea uſibus inſerviturus, ac refrigeratâ cucurbitâ, *reſina paucæ aquæ frigidæ* affuſione ulteriùs à *Spiritu Vini* fortè reſiduo præcipitata colligi, ablui & exſiccari. Notandum etiam, unica *Spiritus Vini* affuſione totam ſubjecti *Reſinam* rarò, aut numquam extrahi: unde *reiteratâ Spiritus Vini affuſione* opus eſt, ne magnam quandoque *Reſinæ* partem cum fœcibus prodigus abjicias.

In Extractorum conficiendorum methodum generalem deſcriptam pagina 83. & 85.

HOcce Titulo *generalem* Author tradit *Extracta parandi methodum*, verùm non minùs quam plurimæ modò eventillatæ compoſitiones à genuino, tum artis, tum rationis tramite deviantem: cum enim *Extracta* eum in finem à Medicis inventa ſint ac ad Praxim deducta, ut *Medicamentorum Virtutes* ad minorem molem ſpatiumque contractæ in *parva Doſi ac minori moleſtia* Ægris *magnas* quandoque *Doſes* nauſeantibus porrigerentur, & cum pluribus, tum *ſimplicibus*, tum *Compoſitis Medicamentis* ita à Natura comparatum ſit, ut propter *particularum ſuarum Activitatem ac Mobilitatem* in anguſtum ſpatium modo ab Authore aſſignato minimè contrahi ſe patiantur;

tur; falsò idem aſſerit, *ex omni Medicamento ſive ſimplici, ſive compoſito, quod tincturam Menſtruo, cui infunditur, communicare ſolet, Extracta* Medicamentorum, è quibus concinnantur, qualitates continentia, parari poſſe: ut autem hæcce clariùs conſpiciantur, Lector mecum conſiderare dignetur, quanta reperiatur inter *Medicamenta*, ac imprimis *Vegetabilia* (è quorum regno plerumque *Extracta* conficiuntur) diſcrepantia, quàm ingens in iis *particularum ac principiorum diverſitas:* etenim alia ex iis invenias è *Terra Saleque fixo* penè tota conflata, alia nunc hujus, nunc illius plus aut minùs continentia; *Sulphure* tamen *Saleque volatilibus* penè in totum orbata, aut, ſi ea contineant, adeo *fixioribus ſuis Principiis* illigata detinent, ut non niſi deſtructis vehementi actione ignis aut diuturna fermentatione concreti vinculis, è latebris eruas, cujuſmodi ſunt *Plantæ frigidæ* dictæ *Radices plurimæ eſculentæ*, & *Purgantia* ferè omnia: memorata autem hæc omnia & iis affinia *Extractionibus* per ſeſe apta exiſtunt, utpote quæ Qualitates ſuas pulsâ vaporetenus *aqueâ humiditate* in *Extracto* concretas detinent.

Porrò alia quoque reperias præfatis quoad Qualitates ex toto contraria; uti enim hæc *terreſtrioribus ac inertibus* conſtant *Principiis ac particulis*, ita illorum *Sal*, *Sulphurque volatilia*, in quibus præcipua eorum vis deliteſcit, irrequieta quaſi continuò non niſi fugam moliuntur, reſeratiſque vel modico calore ſubjecti poris, protinus quâ datâ portâ foras prorumpunt fugitivi hoſpites nullâ arte in *Extracto* coercendi: ejuſmodi autem *Vegetabilia* plerumque ſunt *calida* dicta *odore fragranti prædita Aromata*, *Herbæ*, *Flores*, *Semina*, *&c.* quæ cuncta è vulgo nullus, nedum Medicus

aut Pharmacopæus *Extractionibus ſimilibus* congrua exiſtere, affirmare auſit.

Alia poſtremò exiſtunt claſſis quaſi mediæ de *Principiis volatilibus & fixis* æqualiter, modò de aliis plus minuſque participantia: hæc autem nec *Extractionibus* omninò apta eſſe, quis ex præfatis non videat? Certè ex iis omnibus concludendum, uti non ex omni Ligno fit Mercurius, ita non *ex omni Medicamento, quod Tincturam Menſtruo, cui infunditur communicare ſolet, Extractum*, quod & ægri & Medentis cupidinem explere poſſit, confici poſſe.

Itaque, ne *nucleis* impoſterum abjectis *inutilibus* Ægri paſcantur *ſiliquis* multo interdum ære ſolvendis, ſolicitè & Chriſtiano animo Medicos pariter & Pharmacopæos in id incumbere oportet, nè indiſcriminatim ita quævis, tum *Extractionibus* tum *Decoctionibus* committantur; ſed exacto (quantum fieri poteſt) inſtituto rerum diſcrimine, *Fixa ac Terreſtria Decoctionibus & Extractionibus*, *Volatilia* autem *Deſtillationibus* (queis à natura deſtinata ſunt) quæ verò mediæ inter hæc exiſtunt naturæ *Infuſionibus* ſeu *Extractionibus liquidis* præcipuè adaptentur; quamquam ex omnibus *Vegetabilium* generibus & ſpeciebus *Infuſiones* aptè parari queant.

Hæc quidem de *Medicamentis*, *Extractioníbus* aptis aut ineptis dicta ſufficiant, cum plurima ad eundem ſcopum colligi poſſint in *Animadverſionibus noſtris ſuper Aquas ſimplices factis*.

Porrò non minus quandoque etiam ad *Menſtruum*, cui *res extrahendæ* committuntur, quam ad *extrahenda* attendendum; niſi enim ſiliquas iterum pro nucleis colligere animus eſt, proportionata ea inter ſeſe ſint oportet: alia namque *Naturæ*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0198-8 DFG

Sulphureæ & Reſinoſæ Menſtruum Sulphureum ac ſpirituoſum expoſcunt, ut *Spiritum Vini* alioſve è *Vegetabilium* regno depromptos: certè, ſi prædictorum *Qualitates ipſamque rei ſubſtantiam aquoſis* elicere ſtudueris, oleum & operam perdes: in horum autem cætu pleraque ſunt *Purgantia*, non pauca *Ligna & Radices*, plurima etiam *Gummata* cujuſvis ea ſint qualitatis.

Alia autem *Terreſtrioris ac ſalinæ indolis Menſtruis aqueis* Qualitates ſuas facillimè transfundunt, quorum plurima à *Spiritu Vini* aliiſque ſimilibus ne quidem attinguntur, qualia ſunt *Herbæ & Plantæ non reſinoſæ*, item *Gummata* aliqua ut ſunt *Hederæ*, *Ceraſorum*, *Arabicum*, *Tragacantum &c.*

De *Menſtruis* paucula hæc leviter attigi ratus intelligentibus pauca ſuffectura, ut enormes evitentur errores hand rarò circa hæc contingentes, quod Authores nonnulli vagè ſatis de illis ſcripſerint, quos, qui de iis plura deſiderat, adire poterit.

In Eſſentiam Abſynthii & reliquas deſcriptas paginâ 84.

E*ſſentia* quidem hæc *Abſynthii* modo præſcripto parari poteſt; aſt *veræ Eſſentiæ* nomen uſurpatoriè portat: elegantior itaque efficaciorque *Abſynthii Eſſentia* componatur in modum ſequentem.

℞ *Spiritus ex Abſynthio recenti fermentato parati & rectificatiſſimi* quantum lubet, cui in vaſe idoneo immerge *extremitatum Abſynthii floridi ſicci* minutim inciſi quantum ſatis, ut *Spiritus* ad digitorum duorum altitudinem circiter *herbam* ſuperet. Diregantur in Arena vel B. M. per duos dies, inde expreſſione factâ *colaturæ* iniice eam *Abſynthii ſummitatum* quantitatem, ut illud *Spiritus*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0199-6

ritus ad duos vel tres digitos excedat, reitereturque digeſtio & expreſſio fortis, ac etiam addatur filtratio: tandem pro hujus *Tincturæ libra quaque*

℞. *Extracti Abſynthii* unciam ſemis,
Salis ejuſdem fixi,
Olei ſtillatitii ejuſdem ana dragmas duas, miſce in hunc modum: *Oleum* primò ſolvatur in *Tinctura* ſeu *Spiritu Abſynthii impregnato*, cui deinde *Sal* in ſufficienti quantitate *Aquæ Abſynthii prius ſolutus* (quia *Spiritus rectificatiſſimi Salia fixa* non ſolvunt) & tandem *Extractum* addantur, per ulteriorem digeſtionem in calore leni exactè unienda.

Ad eandem normam parari poſſunt *Eſſentiæ ex aliis Vegetabilibus* præſtantiſſimæ, uti *Menta*, *Salvia &c.* in *Eſſentia* tamen *Corticum Citri & Aurantiorum* paulò aliter procedendum eſt, quarum, quia hic in uſu ſunt, dextram præparationem ſubjeci.

℞. *Corticum Citri recentium extimorum* libram unam ſemis, inciſis affunde in cucurbita vitrea *Spiritus Vini libras quatuor*, & poſt aliquot horarum digeſtionem abſtrahe *Spiritum* ad ſiccitatem *Corticum* in B. M. porrò *Spiritui prolecto* parem infunde *Corticum* quantitatem, denuoque poſt ſufficientem digeſtionem abſtrahe *libras tres*, quibus iterum immerge & cum iis digere in loco calido per viginti quatuor horas *Corticum exteriorum recentium tenuiter inciſorum* uncias novem vel decem, factâque cum forti expreſſione colaturâ filtretur, & filtratæ adde *Olei è Corticibus Citri recentibus ſine prævia putrefactione recenter deſtillati* & *Sacchari canarini* ſufficienti quantitate priùs excepti unciam ſemis, & poſt aliqualem digeſtionem recondatur ad uſum *Eſſentia Citrina præſtantiſſima, magnifica ac delicatiſſima.*

In eundem modum parari poſſunt *Eſſentiæ è Corti-*

Corticibus Aurantiorum, *Cinamomo*, *Macere Garyophyllis*, *aliiſque ſimilibus*.

Quodſi autem contingat, talium vegetabilium *Eſſentias* expeti, quæ *Olei* perparum vel nihil præbere ſolent, in iis parandis conſulantur Animadſiones noſtræ in *Tincturis* (quæ ſine injuria *Eſſentiæ* nomen ſibi vendicare poſſent) ligitimè extrahendis traditæ, ſemper reflectendo, ut *Menſtruum* (quantum poſſibile eſt) *rei extrahendæ* homogeneum exiſtat, ac in *Principiorum* diverſorum mixtura, an ea, quorum mixtio intenditur, ſeſe compatiantur, ſedulò reflectatur: ſic experimur *Salem* facillimè cum *Aqua*, difficillimè cum *Spiritu*, item facillimè *Sulphur* cum *Spiritu*; cum *Aqua* autem non niſi *Sale* intercedente, inire connubium: ac ita ulterius de aliis diverſorum *Principiorum* combinationibus.

Hiſce attentiùs conſideratis habes amice Lector methodum facillimam & dexterrimam *è cunctis Vegetabilibus Eſſentias* ſeu *Extracta liquida* parandi, à quibus deſideratos effectus tibi promittere liceat.

ANIMADVERSIONES IN TOTAM CLASSEM DECIMAM

Agentem de Trochiſcis paginâ 85. *& ſeq.*

IN hac *Trochiſcorum* Claſſe nonnulla annotanda forent, quæ *in Animadverſionibus in Species*, *Pulveres & Pilulas* eventillata ſunt; verùm, quia brevitati ſtudeo ac eandem recoquere crambem mihi animus non eſt, ad eas Benevolum Lectorem remitto, confidens eaſdem *huic Claſſi* prudenter eum applicaturum. Quædam tamen me hic particulariter ſiſtunt: ac imprimis quidem *Trochiſcorum figura*, quæ, certè ignoro, in quem finem inventa ſit ac in Pharmacopolia intruſa: etenim cum ſub *hac forma Medicamenta* Ægris exhiberi nequeant (ſolis exceptis *Trochiſcis bechicis nigris*) & antequam in uſum trahantur in *pulverem* denuò eos conteri neceſsè ſit, ut deindè ex iis *Boli* vel *Pilulæ* vel *alterius formæ Medicamenta* conficiantur, *formam* hanc prorſus ſupervacaneam, utiliuſque eorum *ingredientia in pulverem* aut *aliam Medicamenti formam* uſui non repugnantem redigi poſſe, exiſtimo: præterquam quod hi *Trochiſci* commodè ſeſe in *pulverem* tenuem teri propter *Gummatum & Mucillaginum*

quibus

quibus in hanc *formam* compinguntur, tenacita, tem, vix umquam patiantur.

Sileo *Medicamenta* haud rarò in operationibus ſuis retardari & impediri propter prædictam *mucillaginem* qua eorum *particulæ* pertinaciter involvuntur.

Prætereo *Trochiſcos Cypheos & Hedycroi* pro ſolo *Mitridatio & Theriaca* in officinis diſpenſari, cum tamen *cuncta* penè eorum *ingredientia* ipſa *Theriaca & Mitridatium* recipiat, nihilque hac *Trochiſcatione* obtineri, quam *particularum balſamicarum & aromaticarum irreparabilem jacturam*, prout examinanti, & *noſtras in Theriacum & Mitridatium Animadverſiones* vel leviter inſpicere dignanti abundè patebit.

De *Trochiſcis Scylliticis & Viperinis*, quid ſentiendum, *ex præfatis in Theriacam & Mitridatium Animadverſionibus* propatulum eſt, ubi luce meridianâ clarius demonſtravi, nil minùs eos quam nomini ſuo reſpondere, primoſque præter *Farinam Orobi albi* aut *Radicum Dictamni*, alios præter *Panem Biſcoctum* vix quidquam continere, ubi pariter oſtendi, quid ſecundùm rectæ rationis ac judicii dictamen iis ſurrogandum ſit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0203-9

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM UNDECIMAM

De Oleis paginâ 95. & ſeq.

IN Claſſem hanc undecimam animadverſuro repetenda iterum eſſent omnia, quæ *de Vegetabilium natura & qualitatibus*, nec non *maximis* eorum inter ſeſe *diſcrepantiis* in Animadverſionibus in *Aquas deſtillatas*, *Syrupos*, *Extracta*, *Eſſentiaſque* annotata ſunt: verùm, ut chartæ temporique parcam, particularia tantùm magiſque notabilia lucidatioris informationis ergo in medium adducam.

In Olea expreſſa.

AB *Oleis expreſſis* ut initium ducatur, cum ea omnia ſimplici cunctiſque noto modo parentur, difficultates nullas involvunt: attamen qui his deſunt errores, in ſequentibus *Oleorum* præparationibus ad nauſeam accumulantur.

In Olea ſimplicia per Infuſionem & Decoctionem deſcripta pag. 94.

IMprimis Author *Oleum Roſarum* tamquam normam & regulam ſecundùm quam *cætera Olea*,

 201
Olea, ſimplicia omnia *ex herbis* tum *frigidis*, tum *calidis* parari debeant, proponit: quod quidem ad modum præſcriptum (quod qualitates ejus refrigerantes & adſtringentes ſolùm deſiderentur) confici poteſt (ea cautione adhibitâ, ut à coctione *humiditatis reliquum* ab *Oleo expreſſo* ſedulò ſeparetur, rancorem alioquin brevi contracturo) neutiquam tamen pro regula & norma in *Oleorum omnium præparatione* præfigi poteſt, præſertim in *herbarum calidarum Oleis* in quorum confectione *ſolam Infuſionem & inſolationem Coctioni* meritò præfero, quæ tamen *coctio*, & ſi diutiùs protrahatur, non referre, cæcus prædeceſſorem cæcum ſecutus Author pronunciat. Quantum tamen à ſcopo aberret tum *ex præcedentibus plurimis Animadverſionibus*, tum ſequenti *genuina Oleorum præparatione* affatim patebit.

Ut igitur *Olea* (quantum poſſibile eſt) eorum referant *qualitates & prærogativas*, quorum nomina præ ſe ferunt (quo ſemper, tum in his, tum *aliis omnibus Medicamentorum preparationibus* cordati Medici & Pharmacopolæ intentum vergere debet, ſi quid boni in Ægrorum Morbis propulſandis præſtare velint) inter *Vegetabilia*, è quibus componuntur diligenter annotanda *Qualitatum diverſitas*: quæ enim ex his *Odore fragante ac nares feriente* prædita ſunt (quod *particularum ſubtilitatem fugitivamque naturam* prodit) *Coctionem* minimè ferunt, quin *partibus ſuis terreſtrioribus* poſt ſe relictis, *Balſamicis* illud dotibus maximi in his effectûs defraudant, è quorum genere ſunt *Abſynthum*, *Majorana*, *Menta*, *Flores Camomillæ*, *&c.* è quibus & ſimilibus, ſi *Oleum præſtans* parare animus, *ſolâ infuſione* per diem aut alterum continuatâ contentus ſis, oportet, quæ ſaltem ſemel reaſſum

reaſſumptis novis *Herbis* aut *Floribus* reiteranda: porrò poſt *ſufficientem infuſionem Oleum* per fortem expreſſionem *ab herbis* ſeparetur, ſeparatum per ſubſidentiam ab aquoſitate ac fœcibus, quas à *Vegetabili* contraxit, ſecernatur: ne autem de *Oleo* quidquam pereat, cum illud tam exactè à *ſedimento aqueo* ſegregari nequeat, quin ei aliquantulum adhuc ſupernatet) reliquum lento igne evaporet ad *humiditatis* conſumptionem, *particula* verò *Olei* collecta priori *Oleo* decantato conjungatur.

Quod ſi *præ Infuſione Decoctio* cui magis arriſerit, ea fiat in Alembico capitello munito, ut, quod *ſpirituoſioris* inter coquendum prodiit *humiditatis Oleo* poſtea reaffundi poſſit, poſt aliqualem digeſtionem cum reliquis ſubſidentiis ab eo ſeparandum.

In præparatione *Oleorum è Vegetabilibus*, quæ non ita ſcatent *particulis fugitivis*, vel quorum *Qualitaees humectantes*, *refrigerantes*, *adſtringentes*, & ſimiles ſolummodò in *Oleis* expetuntur, eodem modo procedi poteſt, hoc ſolo diſcrimine, quod *nudâ coctione* ſupradictis tantopere nocuâ ſat commodè perficiatur.

In Animadverſione adjecta Author notat, *in coquendis herbarum calidarum Oleis, earum Decoctum eſſe addendum*: aſt quorſum? Ignoro: niſi fortè, ut *ſulphureis ac balſamicis herbarum florumve calidorum partibus* alæ ſupperant, quibus velociùs auras petant *Olea effœta ac inertia* relinquentes: cumque præterea *Oleum* plurimum ab *humiditate nimia* impediatur, quo minùs rerum immerſarum poros, ut inde earum *Eſſentias* eliciat, ſubire poſſit, meritò tùm in *herbarum calidarum* vel *frigidarum Oleis* parandis ſive *Decoctum*, ſive *alius quiſpiam Liquor* arcetur.

In

202

In Olea Compoſita per infuſionem & Decoctionem deſcripta paginâ 95. & ſeq.

E*X ſuperiore in Olea ſimplicia Animadverſione* facilè colligere erit pergraves errores in *Oleis compoſitis* penè omnibus turpiter nimis commiſſos: unde in ſequentibus genuinam *Oleorum compoſitorum* præparandi rationem proponere decrevi ex qua vel maximè præſcriptæ ab Authore præparationes ſordeſcent.

In Oleum de Capparibus deſcriptum paginâ 95.

O*Leum* hoc ad modum præſcriptum paretur Species aſpergendo *unciis* tantùm *duabus Aceti & Vini*, ac tandem *Oleo* colato & à fœcibus ſeparato addendo *Olei Rutæ ſtillatitii* ſcrupulum unum.

In Oleum de Caſtoreo deſcriptum paginâ 95.

IN hocce *Oleo* longè aliter procedendum eſt propter ingredientium naturæ à præcedentium indole diſcrepantiam. Igitur

℞. *Species omnes prædicto Oleo deſtinatas*, quas inciſas & contuſas, paucoque *Vino* irroratas immerge *Olei puri & limpidi Olivarum* libris tribus, factâque in Alembico vitreo Capitello munito diebus duabus vel tribus infuſione, aucto ignis gradu fiant duæ vel tres ebullitiones, redditâque quæ per Alembicum prodiit *Oleo ſpirituosâ humiditate* aliqualis digeſtio, ac demum *lOeum* à ſubſidente humiditate & fœcibus decantetur ad uſum.

Quod in *Vino* addendo tam parcus fuerim, ideò factum eſt, quod illud, cum *Oleo* commiſceri nequeat (quandoquidem *Oleum* ſemper ſupernatet) totas abſorbeat & eliceat *ingredientium* Vires, poſtea

ſtea vel per ſeparationem, vel evaporationem ab *Oleo* cum illo eliminandas, adeoque ab *Oleo* nihil aut parum admodum ex *ingredientibus* extrahatur. *Gummata* etiam *Vino* non ſolvi, quia, quod in eo ſolutum eſt, *Oleo* iterum uniri nequit, quodque *Oleo* per ſe non ſolvitur, id multò minùs mediante *Vino* fiet.

In Oleum Catellorum deſcriptum paginâ 96.

IN hujus præparatione procedatur cum coctione *Catellorum ad oſſium compagis diſſolutionem* modo ab Authore aſſignato: dein *Oleo à Catellis* & fœcibus ſeparato in Curcubita vitrea immerge *Lumbricorum terreſtrium vivorum & nitidorum* libram unam, *Catellos* pariter *Vivos* numero duos, ac appoſito Capitello juncturiſque exactè clauſis in eo emori permitte, & poſt aliquot horarum infuſionem refrigeratis omnibus ſequeſtretur *Oleum* in quo diſſolve (aſt vaſe clauſo) modico calore *Terebinthinæ cypriæ* uncias tres, atque ita ſedulò recondatur *Oleum efficax* in vaſe probè obturato reſervandum. *Spiritum Vini* non addidi, quia is ſeſe *Oleo* non commiſcet, niſi ſit *rectificatus*, qui uſu poſtulante ei addi poteſt. *Duobus primis Catellis* contentus non fui, quia per *coctionem*, quæ fit ad *compagis oſſium diſſolutionem*, *Spiritus Catellorum vivificus* ſummè expetitus exhalat: imo conſtanter affirmare auſim ab hac poſteriore *Catellorum & Lumbricorum infuſione* ac *Suffocatione* plus *Oleo* virium accedere, quam à prima illa coctione, & ſi foret *ad oſſium uſque diſſolutionem* inſtituta: nimirum propter *Spiritum vivificum Oleo* ab hac poſteriori infuſione accedentem, cujus qualitates ac tes invenire eſt in *Animadverſionibus noſtris ſuper Aquam hirundinum factis.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0208-8
DFG

In Oleum Crocinum deſcriptum paginâ 96.

IN *Olei* hujus præparatione *Crocus*, *Mirrha &* *Cardamomum* cum *aliquot olei guttulis* pulveriſata ſine *Aceto Oleo* infundantur, ſimulque per duos aut tres dies digerantur in arena, materiam interdum movendo, ne fundo vaſis adhereat: tandem poſt unam aut alteram ebullitionem calore vehementiori remittente fiat expreſſio, *Oleumque nobile* uſui reponatur.

In Oleum de Euphorbio deſcriptum paginâ. 97.

IN præparatione *Olei hujus* quàm inconcinna & abſona ſit *Aromatum cum Vino* (quod totum deinde exhalare debet) *Decoctio*, jam ad nauſeam inculcatum eſt: unde *inutili eâ Vini quantitate* omiſsâ, ad normam *Olei de Caſtoreo vel Crocini* procedatur, ultimò leni calore in vaſe clauſo ſolvendo *Euphorbium minutiſſimè pulveriſatum.*

In Oleum Hyperici compoſitum deſcriptum pag. 97.

O*Leum* hoc conficiatur per trinam *Summitatum & Florum Hyperici* nonnihil conquaſſatorum infuſionem in *Oleo communi*, poſtea colato addendo in eoque diſſolvendo *Terebinthinæ Cypriæ* libram unam, omiſsâ prodigâ illâ *Vini veteris* dilapidatione, cum illud in hoc *Oleo* nihil efficiat, quam ejus Pretium augere & Virtutes diminuere, ſecum inter coquendum avehendo *partes Florum* motui ejus obſecundantes: præterquam quod impoſſibilè quid in ejus præparatione præſcribat, cum obturato vaſis orificio nihil exſpirare queat, nedum *ſex Vini libræ* hic requiſitæ in totum conſumi.

In Oleum Lumbricorum deſcriptum paginâ 98.

O*Leum Lumbricorum* ſimplici eorum mundatorum, *non autem ſubmerſorum*, ſed *vivorum* infuſione in Alembico vitreo Capitello ſuo munito paretur, ut ſuperiùs in *Oleo Catellorum* in ſecunda eorum infuſione inſinuatum.

In Oleum Maſtichinum deſcriptum paginâ 98.

P*Aretur hoc *Oleum* modo præſcripto in Cucurbita tamen Capitello inſtructa ac juncturis undique clauſis, ne quid, tum de *Maſtichis* tum *Olei Majoranæ* (quod legitimè modo ſuperiùs in *Oleorum ſimplicium* præparatione à nobis indigitato paratum ſuppono) *particulis volatilioribus* depereat. Nota etiam, quo *Maſtix* in tenuiorem pulverem redactum eſt, eo citiùs & faciliùs ſuccedere diſſolutionem.

Iu Oleum Myrtinum deſcriptum paginâ 98.

O*Leum* hoc paretur modo præſcripto præmiſsâ unius aut alterius diei digeſtione: pro eo tamen *parcior Vini quantitas* ſufficit.

In Oleum Mucaginum deſcriptum paginâ 98. & 99.

O*Leum* hoc, ut ab Authore præſcriptum numquam *ingredientium aſſignatorum*, nec *Oleorum Anethi*, aut *Camomillæ qualitates* referre poteſt: non priorum, quia *Mucillago* è ſpeciebus illis glutinoſis Aquâ mediante extracta *Oleo* ſeſe neutiquam commiſcet, ſed in *Humiditatis aqueæ evaporatione* inſtar Picis in fundo remanet: non etiam poſteriorum, quia *Olea* illa, ſi debitè parata ſint, quibus imprægnata ſunt, *partes volatiliores* in con-

conſumptione ſuperfluæ *humiditatis* penitùs amittunt, unde meo quidem (ſalvo ſemper meliori) judicio rectiùs procedetur in hunc modum.

℞. *Radicum Altheæ recentium* uncias quatuor,
Scillæ recentis uncias duas,
Seminum Fœnugræci,
Lini ana uncias tres.

Priora duo in mortario lapideo contuſa, poſteriora groſſo modo pulveriſata infunde per duos dies *Oleis* præſcriptis in Cucurbita Capitello munita (propter *Olea Anethi* & *Camomillæ* & *Scillam recentem particulis volatilibus* prædita) poſt procedatur ut in aliîs. Vel (quod præferrem) hoc modo.

℞. *Radicum Altheæ recentium* uncias quatuor, *Florum Liliorum alborum* libram ſemis, contùſa coque lento igne continuò agitando in *Olei Lini recentis* & *defœcati* libris quatuor ad humiditatis conſumptionem, dein colaturâ factâ *Oleo* infunde per diem aut alterum *Scillæ recentis* in mortario lapideo contuſæ uncias duas, *Summitatum Anethi*, *Florum Camomillæ recentium* ana libram ſemis: poſt, factâ unâ alterâve ebullitione coletur *Oleum* ſubfrigidè, cui redde, quod per Alembicum *ſpirituoſæ humiditatis* tranſiit poſt aliqualem digeſtionem ſimul cum ſubſidente alia humiditate ab eo ſeparandum,

In Oleum Vulpinum deſcriptum paginá 99.

SEquitur *Oleum Vulpinum*, in cujus præparatione, quanta iterùm fiat *Particularum Balſamicarum* & *Spirituoſarum ac Vini* jactura facilè collegerit, qui vel leviter Rationem & prægreſſas meas Animadverſiones conſuluerit: unde hiſce prætermiſſis ad dextram *Olei* illius præparationem me converto, quæ talis eſt.

℞. *Vulpem* (quantum fieri poteſt) *ætatis mediæ pinguem* (& quantum licet) *recens occiſam*. Detractâ quantociùs ab ejus medietate pelle, ſeparatiſque inteſtinis, eandem illam medietatem conſciſſis celerrimè carnibus & confractis oſſibus cum *Thymi & Camepyteos* ana manupulis duobus, *Salis marini* uncia una & ſemis immerge *Olei veteris* libris quatuor, appoſitoque ſtatim Capitello, juncturis optimè clauſis, fiat infuſio circiter horâ integrâ, in fine refrigeratis omnibus colatio & fortis expreſſio: porrò *colato Oleo*, (cui, quæ prodiit inter coquendum & infundendum *humiditas* reddita eſt) immerge *alteram Vulpis partem* (quæ tam diu in pelle ſua detenta fuit) pariter conſciſſam & confractam, nec non *ſalis marini* unciam unam & ſemis, *Thymi*, *Camepyteos* ana manipulos duos, & Capitello applicato, juncturiſque clauſis fiat poſt ſufficientem infuſionem (ut ante) una alterave ebullitio, (reddendo in fine ab igne depoſitis quod inter coquendum & infundendum tranſiit) ac poſtea refrigeratis omnibus, colatura cum forti expreſſione: *Oleo* deinde modo ſæpius dicto à *fæcibus & aquoſa humiditate* ſeparato immiſce in modico tepore *Olei ſtillatitii Anethi* dragmam unam, *Salviæ*, *Roriſmarini*, *Thymi*, ana ſcrupulum unum ac diligenter recondatur ad uſum.

Porrò circa *Olea* ſive *ſimplicia*, ſive *compoſita* per *infuſionem* aut *Decoctionem* parata diligenter notare dignetur Lector, *plerorumque qualitates*, eis ab Authoribus adſcriptas minus & quandoque illis minimè competere, quandoquidem eas ab *ingredientibus infuſis* aut *incoctis* ſolum deſumere ſoleant, parum aut nullatenùs interim reflectentes ad *Olei*, cui *ingredientium immerſarum vires* extrahendæ concreduntur, *naturam ac proprietates*, toto interim

rim cœlo ab *ingredientium indole* diſcrepantes.

Unde impoſterum in prædictorum *Oleorum Qualitatibus* definiendis, exactiùs paulò ad *Olei*, quod *Menſtrui* vices ſupplere debet, *Naturam ac Indolem* attendendum, utpote quæ nonnunquam totius *Qualitates* ſibi arrogant, *pauculis*, quæ è *re infuſa* extractæ ſunt, *viribus aduerſa facultate* ſuppreſſis: uti *Oleorum infuſorum & coctorum* Compoſitiones debitè examinanti facillimè innoteſcet.

In Olea deſtillata deſcripta paginâ 100.

AB *Oleis coctis & infuſis* ad *deſtillata* trajicio, quæ, cum non ita ſcateant erroribus, paucis generaliter annotatis, eorum elaborationem perito artifici relinquo.

Primò: quò *herbæ* propinquiùs ad *perfectionem* ſeu *maturitatem*, accedunt, eò *præſtantiùs* eas *Oleum* præbere: unde in *deſtillatione Olei Abſynthii*, *Abſynthium floreſcens* ac ad *ſeminis maturitatem* penè accedens accipiendum, & ita de cæteris.

Secundò, quo *Maceratio* diutiùs protrahitur (modo limites non excedat) eò *Oleum abundantiùs*, *graveolens* tamen & *glutinoſum Terebintinæ* naturam tractu temporis æmulans *Oleum* colligi.

Tertiò: ſine *Maceratione Oleum* prolici *fragrantius ac durabiliùs*, in *minori* tamen *quantitate*, quod in *Oleo Corticum Citri* imprimis & ſimilibus jucundè videtur.

Quartò: *Macerationem* non nimis diu protrahendam; alioquin *attenuatum diuturna fermentatione Oleum* in *Spiritum* faceſcere: unde *maceratio Baccarum Juniperi per tres menſes* continuata nimis diuturna exiſtit.

Quintò: *Aqua cujuſdam Vegetabilis* à qua *Oleum* ſeparatum eſt præſtantiſſima eſt, pro aliis *Oleorum*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0213-5

deſtillationibus ; quandoquidem jam à *prima deſtillatione Oleo* ſaturata in ſecunda nihil amplius admittat, adeoque totum vel ad ſuperficiem ſuam, vel ad fundum depellat.

Et hæc generaliter annotata ſufficiant : particularia autem, qui deſiderat (quia *Vegetabilia* omnia non uno eodemque modo ac tempore macerantur & deſtillantur) is adeat Chimicos latè ſatis de iis tractantes.

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM DUODECIMAM

Agentem de Unguentis paginâ 104. & ſeq.

PAuca in hac *Unguentornm* Claſſe occurrunt animadvertenda. Verumtamen quantò elegantiùs Author in quibuſdam eorum præparationibus procedit, tantò enormiùs in aliis contra genuinam Artis regulam impingit: unde qui in quibuſdam graviores occurrunt errores brevibus tranſiliens, dextram eos evitandi, ac *Unguenta* (quantum fieri poteſt) *ingredientium ſuorum Qualitatibus dotata*, componendi normam ſubjiciam.

In Unguentum Altheæ deſcriptum paginâ 104.

PRo *Unguento de Althea* itaque accipiatur *Oleum Mucaginum* modo in *Animadverſionibus* ejuſdem indigitato paratum, & (quantum fieri poteſt) lento igne invicem cum *Cera, Terebinthina & Reſina* liquentur, ac miſceantur.

In Vnguentum Apoſtolorum deſcriptum pag. 105.

UNguentum hoc præſtantiùs evadet, ſi loco *Aquæ communis* accipiatur *Acetum*, & *Gummata* à vehementi nimis *præſcripta coctione* vindicentur:

centur: quod facilè fiet, ſi *Gummatibus pulveriſatis* (quod hiemali tempore non adeò difficile eſt) cum *pauco Aceto* moderato calore ad pultis formam redactis ac *Terebinthinæ* unitis, invicem mixta *Oleum*, *Lythargyrium*, *Cera ac Reſina* paulatim immiſceantur, ac tandem etiam *Pulveres ſequentes*: vel *Gummata pulveriſata* (*Bdellium pulveribus* ultimis addendo) modico calore ſolvantur in *Terebinthinæ* unciis duabus & ſemis detrahendo *Reſinæ* præſcriptæ dragmas ſex.

In Unguentum Martiatum deſcriptum pag. 109.

Rectè quidem & argutè ſatis Author in *Unguento hoc* tantam *ingredientium* apertè inter ſe *repugnantium veteris Compoſitionis* farraginem, quæ in eundem conſpirare effectum neutiquam poteſt tamquam inutilem & nocivam ablegavit, ea quæ *Qualitatibus ſuis* ſymboliſant eidem *Unguento* adaptando; verùm, ubi prudenter *Ingredientium Ametriam* corrigit, turpiter nimis ac imprudenter à Prædeceſſore deſciſcens in *componendi methodum* impingit: cum enim ille ſecundùm Artis regulam genuinam & *Vegetabilium* Naturam *rerum balſamicarum*, *ſulphurearum* ac *fragrantium virtutes iufuſione ſola ac paucis ebullitionibus* in cucurbita clauſa factis, in *Unguento* detinere ſtudet, illæ *præpoſtera* eas *Coctione* penitus fugat, *Unguentum* prædictarum viribus in totum penè exutum elaborans. Conveniet itaque *ſolâ infuſione ac una alterâve ebullitione* in Cucurbita Capitello munita contentum eſſe, ut *Ingredientium virtutibus* (quantum fieri poteſt) *Unguentum* commendabile efficias.

In Unguentum Neapolitanum deſcriptum paginâ 109. *&* 110.

UT in *hoc Unguento Axungia recens Salviæ dotibus* imprægnetur, præſtiterit eam cum *herba conciſa* aliquot horarum ſpatio infundere in Cucurbita clauſa; *Axungiæ* enim aut aliæ res pingues cum *ſucco cujuſdam Vegetabilis* ad ejus conſumptionem decoctæ nihil, aut certè perparum ab eo virium mutuantur, cum *Succi pars aquoſa Axungiæ* numquam ſeſe verè uniat, *terreſtriorque ejus pars* picis inſtar, poſt coctionem vaſis fundo inhæreat nulla miſcibilis arte.

Præterea, ſi *Vegetabilium Succi qualitates ſuas* cum *Axungia*, *Oleis*, *&c.* cocti in illud transfunderent, nondum tamen ejuſmodi *Axungia*, *Oleum &c.* totius *Vegetabilis* virtute gaudereti cum (ut in *Animadverſionibus in Aquas è Succis deſtillatas* ſatis demonſtravi) *Succi plerique expreſſi* numquam *Vegetabilis ſui*, ex quo educti ſunt virtutes ac qualitates ſecum integras aſportent; ſed *ab expreſſione relictum* etiamnum Qualitatibus totius turgidum relinquant, cujus *Odor* imprimis ac *ſapor* teſtes ſunt.

In Unguentum Nervinum deſcriptum paginâ 112.

IN hoc *Viguento* ſolutio *Maſtichis*, *Terebinthinæ & Ceræ* fiat in vaſe clauſo. Nota etiam, *Benſoinum* ſolvi poſſe in præſcripta *Terebinthina*, & eo mediante *Oleis & Axungiis* permiſceri.

In Unguentum Roſarum deſcriptum paginâ 112.

UNguenti *Roſati* deſcriptio, quamvis ſimplex ſatis exiſtat, duplicem tamen involvit errorem,

rem, ac primum quidem, quo *Roſarum fragrantia* poſt *triplicem infuſionem Axungiæ* conciliata per *importunam illam coctionem* dilapidatur, ei præpoſterè additur, quippe quæ tota iterum evaporare debet, aliis inſuper particulis, quas per trinam Infuſionem *Axungia à Roſis* contraxit pro vehiculo exiſtens: unde ſine *Coctione* ac *libra illa Aquæ Roſarum* præſcripta *ſolâ infuſione* in Cucurbita clauſa paretur *Unguentum*, poſt trinam infuſionem à *ſubſidente humiditate* ſeparandum, dein *Aqua Roſarum* lavandum ad *Candoris* & *Odoris* gratiam conciliandam, qui poſterior tandem intendi poterit *guttulis aliquot Olei Ligni Rhodii.*

In Balſamum Lucatelli deſcriptum paginâ 113.

B*Alſamum* hoc ſine *Vino Hiſpanico* præſtantius evadet, cum illud inter coquendum evaporans nil poſt ſe virium *Balſamo* relinquat, quin illud etiamnum *Terebinthinæ partibus ſubtilioribus* ſpoliat, quod idem fit, (etſi non tam multum) per *inſulſam illam Terebinthinæ cum Aqua Roſarum lotionem.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0218-4

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM XIII.

Agentem de Ceratis & Emplaſtris, Primò in Cerata deſcripta Paginâ 14. & 15.

C*Eratum Medicamenti* externi genus *Unguenta* inter & *Emplaſtra* conſiſtentiæ mediæ, à *Cera*, quam recepit nomen mutuans: unde, quo jure *Ceratum de cruſta Panis* (ita ab Authore nominatum) *Ceratis* accenſeri queat, non video, cum illud ne *micam* quidem *Ceræ* recipiat.

Ceratum defenſivum (cum Qualitates refrigerantes & adſtringentes tantum in eo deſiderentur, nec eæ per coctionem pereant) paretur, modo præſcripto.

In *Cerato matricali*, uti & in aliis, *Gummata* (ut adhuc ante dixi) *à Coctione* tutanda ſunt, ne *partes* eorum *penetrantes*, *inciſivæ & attenuantes* in hiſce & ſimilibus maximè expetitæ in Coctione pereant, unde conſultius fuerit *ea in pulverem redacta Vino* aut *Aceto* in *pultis formam* emollita *Ceratis* admiſcere.

In

In Emplaſtra deſcripta paginâ 116. *& ſeq.*

QUod *Emplaſtra* concernit, ea concinno ſatis modo pleraque conſcripta ſunt; verùm in plurimorum eorum præparatione debitè explananda parcus nimium fuit Author, omnia *ſecundùm artem* nimis latam fieri præſcribens, cum tamen ea præparandi methodo de *Emplaſtrorum Virtute* plurimùm agatur, nec parum interſit, an ſecundùm hanc, aut illam artem (quam quiſque pro Cerebelli ſui capacitate ſibi effingit) elaborata ſint: unde generaliter quibuſdam prænotatis, quæ non parùm eorum præparandi modum illuſtrabunt ac facilitabunt, ad genuinam eorum Compoſitionem in plurimis prætermiſſam progrediemur.

Primò itaque nota, *Emplaſtrorum* quæ *Plumbi Calces* (quales ſunt *Lythargyrium*, *Minium*, *Ceruſſa &c.*) recipiunt, præparationem accelerari additione *Aceti*, quod *partibus ſuis acribus corrodentibus Metallicum corpus* diſſolvit.

Secundò *Gummata reſinoſa* optimè in *Terebinthina* tamquam iis maximè *homogenea* diſſolvi, ut ad huc aliquoties in *Unguentorum* præparatione inſinuavi.

Tertiò ubi *Terebinthinæ* præſcripta quantitas inſufficiens exiſtit, ut in ſe *Gummata reſinoſa* complectatur ac ſolvat, ut præcaveatur *particularum inciſivarum*, *balſamicarum*, *aliarumque in Emplaſtris* maximè deſideratarum jactura (quam alioquin illa ſat diuturna cum *Aceto* aut *Vino* decoctio in eorumdem evaporatione minatur) tantum *Aceti* aut *Vini Gummi pulveriſatis* addatur, quantum ſatis, ut calore leni ad *Mellis*, *pultis*, aut ulteriorem requiſitam conſiſtentiam redigantur & veluti ſolvantur, vel, quod melius foret, *Terebinthina* augeatur.

Quartò

Quartò ne *Gummi*, ſive *Aceto*, ſive *alio Liquore* ſoluta, aut per ſeſe, aut aliis *pulveribus* immixta *calidis* nimis *Ceræ*, *Oleis*, *aliiſque Emplaſtro* deſtitis addatur in *grumos* alioquin coalitura, aut, (ſi ea *Aceto*, *aliove Liquore acido* ſoluta ſint, & *Emplaſtrum plumbi Calcem* aliquam recipiat) immodicis effervefcentiis totum opus deſtructura.

Quintò: præſtare *Gummatibus ſolutis & liquatis Ceram*, *Reſinam*, *Olea*, *&c.* invicem liquata at nonnihil refrigerata pedetentim addidiſſe, quam vice versâ: ita enim melior fit omnium unio, uti etiam in *Emplaſtri Diaphoretici* compoſitione bene notat Author.

Ab hiſce univerſaliter traditis ad particularia quædam in ſequentibus *Emplaſtris* annotanda deflectemus.

In Emplaſtrum Carminativum deſcriptum paginâ 117.

IN *Emplaſtro* hoc *Opium* in *Aceti Scillitici* ſufficienti quantitate ſolvatur, quo *Aceto* deinde *Gummata pulveriſata* ad pultis conſiſtentiam redigantur, pro cujus mollitie vel duritie *Terebinthinæ* nonnihil addi vel planè etiam omitti poteſt: cæterùm in additione *Balſami Peruviani ac Oleorum* caveatur, nè ea *calidis nimis Ceræ & Colophoniæ* ante liquatis immiſceantur.

In Emplaſtrum Diapalmæ deſcriptum paginâ 118.

IN *Emplaſtro* hoc non ineptè ab initio coctionis *Vitriolum album in aqua ſolutum* addetur, propter eandem rationem ob qua *Acetum* in prima nota addendum ſuaſi.

In Emplaſtrum Diaphoreticum deſcriptum pag. 119.

MElius hic *Gummi Elemni* cum *Cera*, *Terebinthina & Colophonia* præſcriptis liquefiet, quam in *Aceto* ſolvetur.

In Emplaſtrum Diapompholigos deſcriptum pag. 120.

IN *hoc Emplaſtro Plumbum uſtum* & *Ceruſſa* aliquamdiu *Oleo roſato*, addito *pauco Succo Solani* incoqui poſſunt ad aliqualem eorum ſolutionem, dein *Cera* cum iis liquefieri, ac demùm *pulveres* reſtantes immiſceri.

In Emplaſtrum Divinum deſcriptum paginâ 120.

IN *Emplaſtro Divino Gummi Ammoniacum & Galbanum pulveriſata* in *Terebinthina* liquentur.

In Emplaſtrum Filii Zachariæ deſcriptum pag. 121.

IN hoc *Emplaſtro* ingenuè fateor ignorare me, quomodo ex præſcriptis Ingredientibus *Emplaſtrum* confici poſſit, cum *Cera* aſſignata cum *Adipibus liquidiuſculis* liquata neutiquam *Emplaſtri conſiſtentiam* aſſequi poſſit, multò minus, ſi ei *Oleum Lini* addatur: certè à *Mucillaginibus* fruſtrà *conſiſtentiam* exſpectaveris, etſi eas ad combuſtionem uſque excoxeris: unde ex *hiſce Ingredientibus* rectius *Unguentum*, quam *Emplaſtrum* confeceris.

In Emplaſtrum de Lapide Calaminari deſcriptum paginâ 122.

CAmphora in *hoc Emplaſtro pauco Oleo Roſarum* ſoluta ſub finem addatur, ac ita *Emplaſtrum* minus durum (quod alioquin fit) adipiſceris.

210

In Emplaſtrum Magneticum Arcenicale deſcriptum paginâ 123.

IN *Emplaſtro hoc magnetico Gummi pulveriſata* ſolvantur ac liquentur lentiſſimo igne in *Terebinthinæ* unciis tribus & ſemis & *Olei Succini* unciis duabus, (in vaſe clauſo tamen ſeu Capitello munito) quibus ſolutis (quantum fieri poteſt) ac commixtis adde *Ceram* ac alteram *Terebinthinæ* unciam invicem liquata & nonnihil refrigerata ſub continua agitatione, ac poſtremò *pulverem Terræ Vitrioli* & *Magnetis Arcenicalis* commiſcendo fiat continuò ad omnium uſque refrigerationem movendo *Emplaſtrum*.

In Emplaſtrum de Meliloto deſcriptum paginâ 124.

EMplaſtrum hoc fiat in modum ſequentem.
℞ *Radicum Altheæ*,
Seminis Fœnugræci,
Baccarum Lauri,
Florum Camomillæ ana dragmas tres,
Meliloti unciam unam & ſemis,
Ficus pingues coctos & cribratos numero duodecim, mixta coque cum ſufficienti quantitate *Decocti Florum Camomillæ, Meliloti & Seminum Fœnugræci* ad conſiſtentiam *Cataplaſmatis* continuò agitando ne adurantur: porrò prædicto *Cataplaſmati* (quantum poteſt) calidè immiſce *Gummi Ammomaci in Terebinthinæ claræ* uncia una & ſemis ſoluti, dragmas decem, deinde ſimul liquata ſequentia nimirum.
Sevi Caprini,
Reſinæ ana uncias duas & ſemis,
Ceræ flavæ uncias ſex,
Olei Sampſuchini,

De ſpica ana unciam unam: ultimo verò pulveres ſequentium.

Meliloti uncias quinque,
Florum Camomillæ,
Comarum Abſynthii,
Majoranæ, ana dragmas tres,
Seminum Apii,
Ameos,
Cardamomi,
Radicum Ireos,
Cyperi,
Spicæ,
Caſſiæ ligneæ ana dragmam unam & ſemis,
Styracis calamitæ,
Bdellii ana dragmas quinque & continuò agitando fiat *Emplaſtrum*.

Nota: poterit *Terebinthinæ & Gummi ſimul ſolutis Oleum ſampſuchinum* aut *de ſpica* addi & immiſceri ut liquidiora melius Cataplaſmati permiſceri queant.

In Emplaſtrum de Mucillaginibus deſcriptum paginâ 125.

IN hoc *Emplaſtro Mucagines* præſcriptæ cum *Oleis* coquendæ ad humiditatis conſumptionem, in *Oleo* deindè à craſſamento ſubſidente ſeparato liquefac *Ceræ citrinæ* uncias viginti, quibus nonnihil refrigeratis immiſce ſenſim *Gummi pulveriſata* ac *in Terebinthina* ſoluta, demum etiam *Crocum Oleo ad pulticulam dilutum*, & continuò ad refrigerationem agitando formetur *Emplaſtrum*.

Loco *Mucaginum* præſcriptarum & *Oleorum* meo quidem judicio melius exiſtimo, ſi accipiatur *Oleum Mucaginum ſuperiùs in Animadverſionibus ejuſdem à me indigitatum* ad uncias quatuor & ſemis

mis in quo lento igne *Cera* liqueſcat, & ulteriùs procedatur: præſertim ob duplicem rationem: quia prædictis *Oleis* nihil aut parum admodum à prædictis *Mucillaginibus* accedere; plurimum autem eiſdem inter coquendum de *particulis Aneti & Florum Camomillæ* mutuatis decedere jure merito judico.

In Emplaſtrum Oxicroceum deſcriptum paginâ 126.

IN hoc *Emplaſtro Gummi pulveriſata Aceto* nonnihil diluantur *ad Mellis craſſiorem conſiſtentiam* ac ulteriùs procedatur modo præſcripto. Vel *Therebinthina* augeatur ad uncias duas in qua *Gummi* ſolvantur ſine ulla *Aceti* additione.

In Emplaſtrum ſtypticum Paracelſi deſcriptum paginâ 126.

PAretur hoc *Emplaſtrum* modo ſequenti. Primò *Minium* cum *utroque Lythargyrio* coquatur ad *Emplaſtri conſiſtentiam* cum *Oleo Lini & Olivarum* addito *aquæ communis*, in qua *Vitrioli Albi* dragma una & ſemis ſoluta ſit, *modico*: in eo deinde liquefac *Ceræ & Colophoniæ* ana uncias duas cum *Olei Laurini* dragmis duabus, quæ à calore nonnihil remittentia adde ac immiſce pedetentim *Opoponaci*, *Galbano*, *Sagapeno & Ammoniaco pulveriſatis ac Aceto modico ſolutis & Therebinthinæ* commixtis, continuò agitando ad perfectam eorum unionem, quibus demum inſperge ſequentia ſubtiliſſimè pulveriſata, nempe

Lapidis Calaminaris,
Saudaracis ana unciam unam,
Bdelli unciam ſemis,
Carabes citrinæ,
Mirrhæ,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0225-2 DFG

Aloes,
Ariſtologiæ longæ,
Mumiæ,
Magnetis,
Lapidis hematites ana drágmas duas,
Coralli albi,
rubri,
Matris Perlarum,
Sanguinis Draconis,
Terræ ſigillatæ ana dragmam unam & ſemis,
Florum Antimonii,
Croci Martis adſtriugentis ana ſcrupulos duos, detinendo pelvim in continuo calore, ſed moderato, ac ſine intermiſſione movendo ad perfectam omnium mixturam: poſtremòque *Camphoram Oleo Juniperino* ſolutam addendo perficiatur *Emplaſtrum*.

Nota in hoc, tum aliis *Emplaſtris*, ſi aliquod præſcriptorum *Gummatum* (ut ſæpe contingit) mollius exiſtat, quam ut in *Pulverem* ſeſe teri patiatur, poterit illud in *Terebinthina* vel *Aceto* ſeparatim ſolvi, & colari, quibus demum *alia Gummi pulveriſata* addantur, &c.

In Emplaſtrum vigonis ſeu de Ranis deſcriptum paginâ 127.

SUpervacanea in hoc *Emplaſtro* exiſtit *Lumbricorum in Vino albo lotio & ſubmerſio*, uti & illa cum *Vino decoctio*, cum ea æquè bene cum *Aqua fontana* fiat: *Vinum* enim, quod totum evaporare debet, nil *Emplaſtro* huic virium conciliare poteſt.

Poterit etiam *Decoctum* ex omnibus ſimul parari cum *Aquæ*, aut *Vini* (ſi cui prodigalitas illa placeat) ſufficienti quantitate, nec non *Succis Enulæ & Ebuli* unà affuſis; cum ſive præſcripta ſub initium,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0226-8
DFG

initium, ſive finem adjiciantur, quidquid poſſident *ſubtiliorum & aromaticarum partium*, penitùs in *ultima decoctione* deperdant: porrò *prædicto decocto* cum *ſuccis affuſo* coquatur *lytarghyrium* cum *Oleis Camomillæ, Aneti, & Liliorum, Axungia porci & pinguedine vitulina* ad juſtam conſiſtentiam, ulteriùs procedendo, ut innuit Author. Notandum tamen, *Emplaſtrum* majorem efficaciam ab *Olei Crocini* ingredientibus in ſubtiliſſimum pulverem redactis & ſub finem additis, quam ab ipſo *Oleo* mutuaturum.

Hæc ſunt, quæ mihi in hac Claſſe, tum univerſaliter, tum particulariter annotanda viſa ſunt, quibus non pauca ex *ſuperioribus in Olea & Unguenta Animadverſionibus* addi poterint.

Ex animo quidem optaſſem in ſingulis *Emplaſtrorum Compoſitionibus*, ſingulas ingredientium Vires Sartas tectas conſervare: verùm id in multis impoſſibile reperi, præſertim autem in iis in quibus *Olea* jamtum *Vegetabilium Volatiliorum Qualitatibus* imbuta, cum *Plumbi calce* aliqua in unam maſſam coquendo uniri debent; unde illud non tam bene-intentionatæ voluntati, quam rei impoſſibilitati L. B. imputet rogo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0227-4

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM XIV.

Agentem de Præparationibus Simplicium Medicamentorum.

VAriorum *Medicamentorum* in hac Claſſe variæ occurrunt *Præparationes*, quarum non paucæ, (ſi penitiùs paulò in fundo rei examinentur) *Deſtructioues* rerum potius, quam *Præparationes* nuncupandæ ſunt: quod in prima ſtatim nota ab Authore præparandi methodo præfixa imprimis videre eſt: etenim in ea plurimarum rerum, ut *Cornuum*, *Oſſium*, *&c. præparationem* ab earum *Uſtione* orditur, quâ prædictarum *Principia* adeoque & *Virtutes proprias ac Qualitates* deſtrui relictâ *terrâ mortuâ*, nemo in Arte Chimica vel leviter edoctus, non videt: unde quid à *Cornu Cervi* aut *Ebore uſtis* tantopere hodie uſitatis in *Morbis* propulſandis promittere ſibi Practici debeant, facilè viſu eſt: neque verò quem adeo in Chimia rudem exiſtimo, qui *propulſis vehementi fulcano volatilioribus eorum principiis*, eximiæ in *Medicina* efficaciæ futurum *ſalem fixum* in cineribus (uti alias in *vegetabilibus* uſu venire ſolet) ſibi polliceatur: contrarium enim tum quotidiana in Chimia experientia,

tia, tum Aurifabri in *Cupellationibus ſuis* edocebunt ac evincent.

Quoad cætera, quæ affuſâ *aquâ aliquâ ſtillatitiâ* levigari jubentur, cum *aqua* illa per modum *Phlegmatis* ſeſe habeat, quod totum in eorum *exſiccatione* evaporare debet, nihil ab illa *rebus præparatis* virium accedere, inferendum eſt. Quod ſi autem *rerum aliarum Qualitatibus præparata* imbuere animus eſt, id multò utilius earum *decoctis* aut *Succis* efficietur.

Taceo in ejuſmodi *præparatione ac levigatione* plurimum à Lapide, in quo *levigatio* peragitur, abradi ac proinde non parum rerum earum *pondus* augeri, ut propriâ experientiâ compertum habeo, dum *Lapidum pretioſorum dragmas ſeptem* poſt *præparationem* in Marmore deprehendi ad *tres dragmas* adauctas.

In præparationem Cornu Cervi Spagyrici deſcriptam paginâ 132.

OPtimè hic notat Author (quamvis haud ſatis in prima nota memor) flammis violentis ejuſdem *Cornu vires* exuri: aſt inſuper mecum notare dignetur *Spagyrica* ejuſmodi *Præparatione* ac *humida Calcinatione* vires ejuſdem cum *mucillaginoſa ejus ſubſtantia* plurimùm ab *allabentibus ac lambentibus aquarum deſtillatarum vaporibus* elui, non abſimili ratione quam per *Coctionem in aqua* fieri ſolet: hujus autem aſſerti luculentum indicium eſt, quod ab *evaporatione aquæ illius, quæ per Alembicum deſtillando prodiit*, reliqua ſub finem reperiatur *Gelatina*, non ſecus ac ſi *aquæ Cornua* fuiſſent incocta, quam *Gelatinam*, ſi ulterius exſiccatam per Retortam vehementi igne deſtillaveris, non aliter ac è *Cornu ipſo Salem volatilem*, *Spiritum & Oleum*

Oleum adipiſceris: & hæc quidem ita à me dicta omnes intelligant, non quod *Cornu cervi & ſimilia ſpagyricè præparata* omni prorſus virtute radicali caſtrata pronunciem verùm id firmiter aſſero *Cornua & oſſa cruda* plus quam ad medietatem viribus ſuis ſuperare alia ejuſdem rationis *Spagyricè præparata*, quod curioſo cuivis per *artem ſpargyricam* utriuſque partes æquales deſtillationi ſubjiciendo, manifeſtum fiet.

*In Præparationem Millepedum deſcriptam pag.*133.

NE in decantatione *Spiritus Vini ab Aſellis inebriatis*, non exiguum fortè virium ille ſecum ferat: en aliam methodum. Accipe vaſa duo ſive vitrea, ſive terrea orificis ſuis exactè correſpondentia, quorum unum *Millepedes* continens claudatur linteo raro, vas autem illud inverſum adapta alteri vaſi *Spiritum Vini* continenti, & interſtitiis exactè occluſis impone igni lentiſſimo, ut *vapore aſcendente Millepedes* inebrientur & ſuffocentur (quod breviſſimè fiet) ſuffocati exſiccentur ad uſum.

In Correctionem & Præparationem Opii deſcriptam pagina 133.

OPii *correctio & præparatio*, an adeo genuina ea ſit ac deprædicatur, maximè dubito, cum enim *præcipua Opii vis* in *Sulphure* (ut aiunt) *narcotico* conſiſtat, vanum mihi videtur illud per *Opii torrefactionem* ab eo eliminare, cum præterea *Sulphur* prædictum plurimum alioquin à *parte aquoſa* temperetur: certè non tam ad *Qualitates* ejus quotidianâ experientiâ notas, quam ad *Quantitatem & exhibitionis tempus* ſcrupuloſè attendendum exiſtimo. Imo *crudum* illud hodie à non paucis in uſum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0230-9 DFG

uſum trahitur, neque à Turcis, à quibus id tanta quantitate aſſumitur ulla *torrefactione prævia* præparatur: quod ſi tamen aliquid in *Opio* præparare animus eſt, id præcipuè fiat, illud à *partibus ſuis heterogeneis* mediante ſolutione in *Spiritu Vini* ſeparando: interim tamen circa præparationem prædictam liberum cuique relinquo arbitrium.

Duas ſequentes Claſſes non attigi, primam Chimicis, alteram Botanicis relinquens, qui de earum contentorum ſinceritate dijudicare poterunt: mihi interea propriis negotiis ab earum examinatione abſtracto hiſce ſuperſedere viſum eſt, eos, qui hæc legerint quam humillimè & enixiſſimè rogans, ut, ſi quid in præcedentibus meis Animadverſionibus erroris inadvertenter irrepſerit (quia homo ſum & errare poſſum) aut aliter minùs placuerit, id mihi benignè ſignificare dignentur pro viribus in omnibus ſatisfacere parato: nec ob ea abſente me ſcripta mea malignis interprætationibus dilacerent ac caninis invidiæ dentibus divellant; ea enim, quæ quibuſdam erronea viſa fuerint, alii re benè inſpectâ & intellectâ benignè interprætabuntur: interim pro coronide in Pharmacopæorum & Practicorum gratiam ſequentem tabulam adjicio, ex qua facilè quivis agnitâ *Simplicium* præcipuè *purgantium Doſi*, *compoſitorum Doſes* determinare poterit.

TA-

TABULA CALCULATORIA

Plurimorum Medicamentorum compoſitorum (cum ſimplicium præcipuorum Doſes in prima Claſſe indigitatæ ſint) Doſibus expeditiùs computandis ac dirigendis accommodata, in qua quam proximè Ingredientium Purgantium, Narcoticorum aut alia quadam Qualitate inter cætera eminentium, ſeu Baſium calculantur Quantitates.

SUppoſito igitur, quod omnia debitè ac fideliter allegatis modis parentur: continentur virtualitur.

IN

Aceti Scillitici unc. j.	Scillarum ſiccarum ſcrup. ij.
Aceti Theriacalis unc. j	Mirrhæ gr. viij. Specierum Theriacæ gr. ij. Corticum Citri gr. xij. Croci gr. j.
Aquæ Theriacalis ſimplicis unc. j.	Specierum Theriacæ grana xxiiij
Balſami Lucatelli unc. j	Balſami peruviani gr. vij
Benedicti laxativi unc. j	Turpethi gr. xxv Radicum Eſulæ minoris, Hermodactylorum, Diagridii ana gr. xij ſ.
Caryocoſtini unc. j.	Hermodactylorum, Diagridii ana drag. ſemis.
Cholagogi unc. j.	Diagridii ſcrup. j. gr. v. Rhabarbari gr. xv.
Confectionis Alkermes drag. ij. & gr: xv	Ambræ griſeæ gr. j. Ligni Aloes, Cinamomi ana gr. iij. Lapidis Lazuli, Magaritarum ana gr. j

Con-

214

Confectionis Hamech unc. j.	Foliorum Sennæ, Rhabarbari., Agarici Albi, Colocynthidos ana in infuſ. ſcrup. j. gr. vj. Item in ſubſt. Foliorum Sennæ, Rhabarbari ana gr. xiij. Scammonei ſcrup. j.
Confectionis Hyacinthorum ſcrup. iiij.	Specierum ſcrup. j.
Decocti ſolutivi unc. j.	Foliorum Sennæ drag. ſemis.
Diacatholiconis unc. j.	Foliorum Sennæ gr. xxij. Rhabarbari, Mechoacannæ ana gr. xj.
Diaphœnici dragm. v. & ſcrup. ij.	Turpethi drag. ſemis, Diagridii gr. xj.
Diaſcordii Fracaſtorii unc. j.	Opii gr. j. ſemis.
Electuarii Hydragogi unc. j.	Jalappæ ſcrup. ſemis, Diagridii gr. xxij. ſemis.
Electuarii è ſucco Roſarum unc. ſemis.	Scammonei gr. xiij.
Electuarii è ſucco Ruthæ drag. ij.	Specierum drag. ſemis.
Elixirii propr. unc. j.	Aloes, Croci, Mirrhæ ana drag. ſemis.
Emplaſtri Carminativi unc. j.	Opii ſcrup. j.
Empl. Diachyli gummati lib. j.	Gummi Ammoniaci, Galbani, Opoponacis, Sagapeni ana d. ij. ſ.
Emplaſtri epiſpaſtici drag. iij.	Cantharidum drag. j.

Empla-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0233-6

Emplaſtri Magnetici unc. j.	Magnetis arſenicalis drag. j.
Emplaſtri Oxicrocei unc. ij.	Croci drag. ſemis.
Emplaſt. de Ranis cum Mercurio unc. j.	Mercurii dragm. ſemis gr. iij.
Extracti Catholici d. j.	Colocinthydis gr. xviij. Agarici albi, Hellebori nigri ana gr. xij Aloes gr. xxiiij Scammonei gr. xij
Hieræ picræ unc. j	Aloes ſcrup. iiij. gr. vj.
Laudani liquid. dr. j.	Opii gr. ix. ſemis.
Mitridatii unc. ſ. ſcru. ij.	Opii gran. j.
Paſſularum Corintiacarum Laxativarum ſimul cum ſuo ſyrupo liquidiore unc. j.	Foliorum Sennæ. drag. ſem.
Philonii Romani ſcru. ij. gr. xij.	Euphorbii ſextam part. grani, Opii gr. j. Seminis Hyociami gr. ij. fere.
Pillarum Aleophanginarum drag. j.	Aloes ſcrup. ij.
Pillarum Cochiarum drag. j.	Aloes gr. viij. Troch. Alhandali gr. iiij. ſ. Diagridii gr. iij. ſ. Turpethi gr. vj.
Pillar. de Cynogloſſa, cum Aqua Gatharrali, drag. ſemis. Cum Syrupo	Radicum Cynogloſſæ. Seminum Hyociami, Opii ana gr. iiij. Singulorum gr. iij. ſemis.

Pilla-

Pillarum Fœtidarum ſcrup. iiij. gr. ij.	Trochiſcor. Alhandali gr. iiij. Hermodactylorum, Cort. Rad. Eſulæ ana gr. ij. Diagridii gr. iij. Euphorbii duæ tertiæ grani.
Pillarum de Nitro dr. j.	Aloes, Troch. Alhandali, Diagridii, Hellebori nigri ana gr. v. Euphorbii gr. ij. ſemis.
Pillarum Splenetica-rum dragma j.	Reſinæ Scammonei gr. xij. Aloes gr. xxiiij. Foliorum Sennæ gr. xvj.
Pulv. Bezoardici magi-ſtralis drag. j.	Bezoardici mineralis ſcrup. ij. gr. ij. ſemis. Cinnabaris nativi gr. v. ſemis. Camphoræ gr. iij. ſemis.
Pulveris Cachectici dr. j.	Limaturæ Chalijbis ſcrup. ij.
Pulveris Catholici dr. ſemis.	Diagridii gr. xv. Antimonii diaphoretici gr. x. Tartari crijſtallini gr. v.
Pulveris Diacarthami dr. j.	Seminis Carthami Hermodactylorum ana gr. ix. ſemis. Turbith gr. xiiij. Diagridii gr. vij.
Pulveris Diaturbith cum Rheo dr. j.	Rhabarbari gr. xv. Turbith, Hermodactylor. ana gr. xij. Diagridii grana vj.
Pulveris Hermoda-ctylæ Venetæ drag. j.	Hermodactylorum gr. xviiij. Turbith gr. xij. Mechoacannæ gr. ix. Diagridii gr. iiij.
Pulveris Sennæ Mon-tagnanæ drag. j.	Sennæ drag. ſemis.

Requiei

Requiei Nicolai ſcrup. iiij.	Opii, Seminis Papaveris albi, Hyociami albi Cort. Rad. Mandragoræ ana granum j.
Sacchari Perlati unc, j.	Margaritarum ſcrup. j.
Speciei Diambræ dr. j.	Ambræ griſeæ grana iij.
Spiritus Vini Camphorati unc. j.	Camphoræ ſcrup. ij.
Syrupi Papaveris albi unc. j.	Capitum Papaveris albi dr. ij. ſcrup. ij.
Syrupi de Cichoreo cum Rheo unc. j.	Rhabarbari gr. xxiv.
Syrupi Fl. Perſicorum unc. j.	Fl, Perſicorum drag. vj.
Syrupi de Polypodio unc. j.	Infuſionis Roſarum ſolutivarum dr. ij. grana xxiv. Foliorum Sennæ ſcrup. ij. gr. ix.
Syrupi de Rhamno Cathartico unc. j.	Succi Rhamni Cathartici unc. j. drag. ij. ſcrup. ij.
Syrupi Regis ſolutivi unc. ij. drag. iij.	Foliorum Sennæ drag. j. infuſionis Violarum, Roſarum pallidarum ana unc. ſemis.
Tabellarum Aromatici roſati unc. j. Tabellarum diacodii unc. j.	Specierum Aromatici roſati drag. ſemis. Seminum Papaveris albi gr. xv.
Theriacæ Andromachi drag. j. ſemis.	Opii gr. j.
Theriacæ Diateſſaron unc, ſemis.	Radicum Gentianæ, Ariſtologiæ rotundæ, Baccarum Lauri, Mirrhæ ana gr. xv,

Tin-

Tincturæ Croci unc. j.	Croci ſcrup. iv.
Tincturæ Cinamomi unc. j.	Cinamomi drag. ij.
Tincturæ Caſtorei dr. j	Caſtorei drag. j.
Tincturæ Gummi Laccæ unc. j.	Gummi Laccæ drag, ſemis.
Trochiſc. Alkekengi ſcrup. j.	Seminum Papaveris albi, Hyociami, Opii ana granum j.
Trochiſcorum de Carabe ſcrup. j.	Opii granum j.
Unguenti Enulati cum Mercurio unc. j.	Mercurii grana xxiix.
Unguenti Neapolit. drag. ij.	Mercurii grana xxiv.

Habes hic præcipuarum Compoſitionum, ſimplicium aliquot, vel Qualitate, vel Quantitate in iis eminentium expreſſam Doſim, ex qua cuivis in procinctu erit totius Compoſitionis completam Doſim determinare, cùm jam ante Simplicium plurimorum præſertim Purgantium Doſim in Claſſe prima annotaverim.

Hiſce igitur, Amice Lector, in tui Proximique commodum fruere, & vale.

FINIS.

INDEX
RERUM NOTABILIORUM
In his Animadverſionibus contentarum.

A

ABſynthii vera Eſſentia. 191
Aceta ſimplicia. 90
Acetum Scylliticum. Ibidem
Theriacale. 90. 91
Aceti Theriacalis uncia. quantum ſpecierum Theriacæ recipiat 90
Acida non coquenda in æreo aut auricalcino vaſe. 98
Acidis ſoluta à priori ſua natura degenerant. 95
Aciditas fructuum acidorum non aſcendit in deſtillatione. 53. 54
Admonitio ad Lectorem. 43
Adſtringentia in reſiduo à decoctione vires conſervant. 76. 105. 108
Agarici natura ac indoles. 151
Agaricus ineptus qui addatur Antidotis. Ibid.
A Mitridatio arcendus. 152
Alexipharmaca à corporis centro ad circumferentiam operantur. 151
In Theriaca obruuntur ab ingredientibus contrariæ qualitatis. 169
Alexipharmacis malè adduntur Purgantia 151
Animalia viva deſtillatione ſpiritum vivificum præbent. 71. 72.
Animalia uſualia & eorum partes cum ſuis qualitatibus 26. uſq. 29.
Animalium Analiſis, ſeu examen per ignem. 70. 71.

Præ-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0238-5 DFG

Præcipua energia conſiſtit in partium volatilitate. 69

Vis reſtaurativa non aſcendit Alembicum. 70. 71

Apis mellificans. 121

Aqua Antiſcorbutica. 54

Catharralis. Ibid.

Ceraſorum. 52

Quis ejus effectus. 53

Ex Catellis vivis ſpecifica in Epilepſia, Podagra, Paſſione Hyſterica, &c. 72

Cinamomi. 55

Deſtillata in præparatione Cornu Cervi ſpagyrica continet Gelatinam ejus. 121

Embryonum. 55

Epileptica. 51

In Aqua ex Animalibus vivis deſtillanda, adhibenda cautio. 73. 75

Aqua Hirundinum deſcripta ut in uſu eſt. 66

Ejus dextra præparatio. 74

Hyſterica. 56

Limacum Lundinenſium ut in uſu eſt. 67

Limacum Lundinenſium examinatur 76. *uſq.* 79

Mellis. 52

Prophylactica. 57

Aquarum è Succis deſtillatio examinatur. 47

Aquarum ſimplicium ex Vegetabilibus deſtillandi verus modus. 46. *uſque* 52

Aquæ ſimplices ex Vegetabilibus frigidis, fixioribus & terreſtrioribus parvi momenti. 46

Aquæ ſimplices vulgari modo deſtillatæ aquam fontanam potiùs quam peculiarem aliquam virtutem ſapiunt. 44

Aqua Theriacalis. 57. & ſeq.

Ejus uncia una, quantum in ſe recondat virium ſingulorum ingredientium. 60

Ejus uncia una vix continet virtutes granorum xxiv. 58

Vitæ Mathioli, ut in uſu eſt. 67. *uſque* 69
Examinatur. 80. 81
Ejus genuinus componendi modus. 82. 83
Argentum foliaceum fruſtra & noxiè additur Medicamentis. 184
Ridiculè adhibetur Deſtillationibus 120
Aromata & odorifera coctionem non patiuntur. 106. 201
Quo effectu Emeticis addantur. 120
Aromatica requirunt pro deſtillatione menſtruum ſpirituoſum & quare. 54
Auri fixitas. 141
Aurum foliaceum prodigè & noxiè additur Medicamentis. 141
Aurum à Stommacho ægrorum diſſolvi non poteſt. 140
Excernitur ut aſſumptum eſt. Ibid.
Impedit chyli motum per vaſa lactea. Ibid.
Ridiculè adhibetur deſtillationibus. 81
Ægros terret. 141. 142
Authoris Animadverſionum intentum. 44

B

B*alſamica & fragrantia malè decoctioni ſubjiciuntur.* 101
Balſamum Lucatelli. 210
Balnei Maris & vaporoſi deſcriptio. 48. 49
Uſus. 50. & 51
Boli armenæ vera præparatio. 140. 147
Bolo armenæ acida affuſa, ejus vires infringunt, & infringuntur. 140

C

C*alcitidi vitriolum non ſubſtituendum.* 165
Virulentia calcinatione augetur. Ibid.
Calcitis noxiè additur Theriacæ. Ibid.
Quid ſit & ejus natura. 164
Sublimatum & Arcenicum malignitate adæquat. Ibid.

Calculatoria tabula. 224
Camphora ardet ſub undis. 36
Quæ ratione Febribus medeatur. Ibid.
Sibi relicta evaneſcit in auras. Ibid.
Camphoræ doſis. 42
Reſinatores maximè fertiles. 36
Qualitates. 35. 36
Capilli Veneris quare ſemper recentes imperentur ab Authore Pharmac. Brux. quæritur. 100
Carminativa malè decoctis adaptantur. 94. 133
Carnes Animalium humidè deſtillatæ nil præbent genuinæ virtutis. 70. 71
Caſtorei doſis. 42
Ceraſorum aqua, quid faciat. 53
Ceraſa nigra ridiculè Capitis affectibus deſtinata. Ibid.
Ceratum quid. 211
Defenſivum. Ibid.
Matricale. Ibid.
Citri aciditas non aſcendit alembicum. 57
Corticum vera Eſſentia. 192
Coctio Aromaticalium & fragrantium inepta. 106. 201
Carminativorum inepta. 94
Color ruber in tinctura ſalis tartari, unde. 88
Compoſitionibus compoſita exigua doſi addere, eſt muſcam in Apuliam dimittere & fabam in cacabum braxatorium. 64
Condita. 130
Confectio Alkermes examinatur. 145. 146
In ejus exhibitione error committi ſolitus. 146. 147
Hamech. 134. 136
Hyacinthorum 150
Cenſervæ. 130
Coralla malè deſtillationibus ſubjiciuntur. 80
Eorum pondus poſt calcinationem majus. 88
Cornua & oſſa cruda duplo plus virium continent, quam ſpagyricè præparata. 222
Cornu cervi gelatina continet eadem principia, quæ

Cornu ipſum. 71. 221
Cornu cervi Præparatio Philoſophica examinatur. 221
Uſtum mera terra mortua. 220
Cortices uſuales & eorum qualitates. 6. uſque 9
Corticum Citri eſſentia vera. 192
Coſmeticum internum fœminarum anglarum. 72
Croci tinctura dextra præparatio. 85
Crocus deſtillatione non fundit præcipuas virtutes. 55. 87
Cupellationes Aurifabrorum demonſtrant non dari ſalem fixum in Animalium cineribus. 220

D

DEcocta malè ſumuntur ad Purgantia extrahenda. 93. 110. 184
Decoctio rerum aromaticarum erronea. 106. 201
In Decocta Animadverſiones generales. 92. 93
Decoctioni quæ ante deſtinaverat Author Pharmac. Bruxellenſ. eadem deſtillationi accommodat, & contra. 94. 106
Decoctioni quodnam priùs ſubjiciendum ex pluribus eidem decocto deſtinatis. 92
Decoctio & deſtillatio ex natura rei repugnant inter ſe. Ibid.
Decoctum carminativum. 94
Nephriticum. Ibid.
Solutivum. 93
Vulnerarium. 95
Deſpumatio mellis eſt ejus deſtructio. 123
Deſtillatio Aquarum è Succis examinatur. 47
Ei quæ apta, quæ inepta exiſtant. 45. 94
Diambræ ſpecies erroneè Laudano opiato additur. 186
Diamorum. 126
Diaphœnici vis purgans obruitur nimia fructuum pulpæ copia. 134
Diaſcordii præparatio. 149
Doſes Medicamentorum purgantium & quorumdam alio-

aliorum, 40. *uſq.* 42

Doſis Electuariorum purgantium certa præfigi nequit præſertim eorum, quæ Saccharum recipiunt ſecundum normas componendi uſitatas. 135

Doſis certa quomodo poſſit determinari in omnibus Electuariis. 135. 136.

E

EBur uſtum mera terra mortua 220

Ægri munus circa Medicamenta procuranda 43

Electuaria ſolutiva 132

In ea, quæ recipiunt Diagridium, Aloem, &c. nota generalis. Ibid.

In Electuariorum opiatorum compoſitione, quæ obſervanda. 148

Electuarium benedictum laxativum. 132

Caryocoſtinum. 133

Cholagogum. 133. 136

Diacatholicon. Ibid.

Diaphœnicum. 134. 136

Nimia fructuum pulpæ copia obruitur. 134

Hieræ picræ. 134

Hydragogum. 134. 136

E ſucco Roſarum. 134. 136

Elixir antifebrile. 62

Ejus ingredientium proportio. 64

Proprietatis triplex. 89. 90.

Vitæ Mathioli, ut in uſu eſt. 67. uſq. 69

Examinatur. 80. 81

Emeticis malè adduntur Aromata. 120

Circa Emplaſtra notæ generales. 212

Emplaſtrum carminativum. 213

Diapalmæ. 213

Diaphoreticum. 214

Diapompholigos. Ibid.

Divinum. Ibid.

Emplaſtrum Filii Zachariæ. Ibid.
De lapide calaminari. Ibid.
Magneticum. 215
De Meliloto. Ibid.
De Mucillaginibus. 216
Stypticum paracelſi. 216. 213
Vigonis ſeu de Ranis. 218
Emplaſtrorum plumbi calcem recipientium elaboratio acceleratur additione Aceti. 212
Eſſentia Abſynthii genuina. 191. 192
Corticum citri præſtantiſſima. 192
Extracta non ex omni Medicamento parantur quæ Tincturam menſtruo cui infunduntur communicare ſolent. 189
Extracta quare in Medicinam introducta. 188
In Extracto Catholico præpoſterè additur Species diarrhodonis. 185
Extractum Pillarum cochiarum. 186

F

FErmentata non referunt undequaque priorem naturam. 65
Figura balnei maris & vaporoſi. 49
Fiat ſecundum artem minùs dexterè apponitur Compoſitionibus. 217. 85. 148
Flores nonnulli ſua-veolentes contuſi ingratum odorem ſpirant. 47
Flores uſuales & eorum Qualitates. 14. uſque 17
Folia & herba uſualia & eorum Qualitates. 8. uſque 13
Fructus uſuales & eorum Qualitates. 20. uſque 23
Fungi uſuales & eornm Qualitates. 6. 7

G

GAleni placitum circa Animalium coctorum virtutem. 70
Gelatina Cornu Cervi continet eadem principia quæ

Cornu ipſum. 71. 221
Gelatinæ Carnium, Cornuum & Oſſium plus continent principiorum quam Carnes, Cornua, &c. ex quibus decoctæ ſunt. 159
Gummi reſinoſa optimè ſolvuntur in Terebinthina. 212
Minùs rectè ſolvuntur vino. aceto, aut alio liquore & iterum inſpiſſantur. 154
In pulverem redacta potiùs compoſitionibus addenda quam liquore quodam ſoluta & inſpiſſata. 173
Vino ſoluta malè adduntur Oleis coctis. 200
Uſualia & eorum qualitates. 24. uſque 27
Non nimis calidis aliis ingredientibus addenda. 213

H

HErbæ uſuales & eorum qualitates. 8. uſque 15
Hirundinum aqua. 66. 74
Vivorum aqua ſpecifica in Epilepſia 72
Hydromel. 124

I

INfuſiones pauciores ſufficiunt pro ſyrupo Roſarum ſolutivo, Florum Perſicorum, &c. 112. 113
Inſtrumentum deſtillatorium ad aquas ſine empyreumate eliciendas delineatum. 49
Juniperi Rob. 129
Juſcula carnium continent earum vires. 159

L

LAcca tinctura. 86
Lapides pretioſi nullas virtutes præbent per Alembicum. 80
Præparati augentur in pondere. 221
Uſuales & eorum qualitates. 28. uſque 33
Laudanum liquidum. 86
Laudanum opiatum. 186

Lau-

Laudanum opiatum verus componendi modus. 187. 188
Limaces malè adhibentur ad deſtillationem ſimplicem. 77
Looch ſanum, & expertum. 127. 128
Lotio Terebinthina infulſa. 201

M

Margarita malè deſtillationibus ſubjiciuntur. 80
Medicamenta in ſtommacho ſolui debent, ſi ſoluta non ſint. 140
Marina uſualia & eorum qualitates. 32. 33
Medicamentorum ſimplicium præparationes potius eorum deſtructiones nuncupandæ. 220
Medici munus circa Medicamenta. 43
Mel amarum quandoque & unde. 122
Colligendi modus vulgaris. 122. 123
Conſtat particulis balſamicis & æthereis. 122
Deſpumationibus deſtruitur. 123. 133
Ejus deſpumatio rejicitur. 123. 124. 133
Ejus heterogenea ipſa Apis ſeparat. 122
Impedit extractionem ſpecierum Theriacæ in aqua Theriacali. 58
Mercuriale. 126
Ejus proprietates. 121
Quinta vegetabilium eſſentia. Ibid.
Quomodo ab Apibus colligatur. Ibid.
Quomodo debitè præparandum. 123. 124
Roſarum. 126
Variat pro Regionum, Climatum, locorum & annorum differentiis. 121. 122
Menſtrua pro rerum extrahendarum natura varianda. 191
Debent eſſe homogenea cum re extrahenda. 193
Metalla uſualia & eorum qualitates. 28. uſque 33
Millepedum præparatio. 222
Mineralia uſualia & eorum qualitates. 28. uſq. 33

A Mitridatio Agaricus arcendus. 152
Mitridatium & ejus dextra præparatio. 153. 154
Confuſa ingredientium congeries. 150
Ejus ſpecierum quantum Elixirii antifebrilis unam doſim ingrediatur. 64
Examinatur. 150. 151
Mucillaginoſa inepta, ut ex iis Syrupus paretur. 102. 117
Fruſtra nodulo includuntur. 102

N

Nitrum vitri Antimonii correctivum 119
Nicotiana inepta ad aquam Limacum. 77
Nuces juglandes immaturæ non rectè ſubjiciuntur Deſtillationi. 57

O

Oculi Cancri ſiniſtrè decoctis adduntur. 95
Odorifera & Balſamica ante deſtillationem non ſiccanda. 65
Olea expreſſa. 196
In Olea deſtillata notæ generales. 205
Olea deſtillata diuturna digeſtione faceſſunt in ſpiritus. Ibid.
Olea cocta ex quibuſcumque Vegetabilibus non eodem modo paranda. 197
Olea ſimplicia per infuſionem & coctionem. 196. uſq. 198
In Oleis ex herbis calidis parandis malè additur earum decoctum. 198
Coctis malè additur vinum. 201
Oleum de Capparibus. 199
De Caſtoreo. Ibid.
Catellorum. 200
Crocinum. 201
De Euphorbio. Ibid.
Hyperici compoſitum. Ibid.

Lum-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0247-5
DFG

Lumbricorum. 202
Maſtichinum. Ibid.
Myrtinum. Ibid.
Mucaginum. Ibid. 202
Vulpinum. 203. 204
Eò præſtantius elicitur, quò Vegetabilia magis ad maturitatem accedunt. 205
Poſt diuturnam Macerationem elicitur quidem copioſius, ſed graveolens & tractu temporis Terebinthinam æmulatur. Ibid.
Sine Maceratione elicitur parcius, ſed fragrantius & durabilius. Ibid.
Opii doſis, 42
In Morbis plurimis malignis exhibitio lethalis 61
Opii qualitates. 34. 35
Malignæ. 163
In veteri æquè ac nova Theriaca manifeſtæ. 177
Præparatio. 222. 223
Opio *utuntur Turcæ in Venere cienda & animi alacritate procuranda.* 55
Opium *nullas habet virtutes alexipharmacas* 162
Prohibet exhibere congruam Doſim Aqua Theriacalis. 91
Prohibet exhibere congruam doſim Theriacæ. 166
Sudores ciet. 35
Syrupo ſolvendum malè præſcribitur. 185
Tumores reſolvit. 35
Oximel. 124
Scilliticum. 125
Oximellis marubiati vera præparatio. Ibid.

P

P*Aſſulæ laxativæ.* 134. 136
Pæoniæ radices & ſemina deſtillationi ineptæ. 55. 56. 106
Pilulæ Aleophanginæ. 180. uſque 182

Cochiæ. 183
Fœtidæ. Ibid. 184
De Cynogloſſa. 185
De nitro. 184
Quæ cum Syrupo impaſtantur præ cæteris facilius indureſcunt. Ibid.
Ruffi. Ibid.
Splenetica. Ibid.
Piper nimia quantitate additur Theriacæ. 162
Calore ſuo inflammante impedit exhibere debitam Theriacæ doſim in morbis calidis. Ibid.
Non conſtat qualitate alexipharmaca. Ibid.
Ejus qualitates. Ibid.
Plantæ balſamicæ & fragrantes Extractis ineptæ. 189
Inodoræ, frigidæ & terreſtres deſtillationibus ineptæ. 45
Quædam ſuaveolentes amittunt odorem ſuum per contuſionem. 47
Porci ſanguis malè deſtillationi ſimplici ſubjicitur. 76
Potiones purgantes, unde quandoque fiat. quod non edant ſuas operationes. 93
Præparationes plurimorum Medicamentorum ſunt eorum deſtructiones. 220
Præparatio Cornu Cervi ſpagyrica. 221
Millepedum. 222
Opii. 222. 223
Principiorum combinatio, & quid circa eam notandum. 193
Pulveres. 177
Solutivi. 143
Pulveri Diacarthami malè additur Species Diatragacanthi frigidi. 143. 144
Pulveribus malè adduntur Succi. 137
Pulvis liberantis. Ibid.
Purgantia ſimplicia quales quæque humores educant. 40 41
Eorum Corrigentia. Ibid.
Doſes. Ibid.

Qualitates. Ibid.
Malè adduntur Alexipharmacis. 151. 163
In affectibus malignis raro propinantur ſine vitæ diſcrimine. 163

Q

QUalitates prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, quid. 2. & ſeq.
Qualitates diverſæ in eodem Syrupo. 102. 103
Prima non tam nudè conſideranda. 36
Simplicium uſualium. 2. & ſeq.

R

RAdices uſuales & eorum qualitates. 2. uſq. 7
Ranarum Spermatis aqua quomodo paranda. 53
deſtillata modo vulgari, nulla. Ibid.
Recipiens non recipit ultra modum ſuæ receptivitatis. 93. 110. 112.
Reſinæ Styracis præparatio. 148
Ejus guttis præferenda. 153
Reſinæ. 188
Uſuales & earum qualitates. 24. uſq. 27
Rhabarbarum noxiè additur Theriacæ. 163
Rob. 129
Juniperi non parandum ut alia. Ibid.
Rubedo in Tinctura Salis Tartari, unde. 88
Variorum à Sulphure. Ibid.

S

SAcchari cum liquore proportio ad Syrupum requiſita. 112
Saccharum additur herbis & floribus propter herbas & flores, non contra. 130
Nimia quantitate additur Conſervis. Ibid.
Nocet Ventriculo. Ibid.
Penidium malè ſuſtituitur communi albo. 105
Quandoque adulteratur. Ibid.

Sal fixus in Animalium cineribus nullus. 220
A Spiritu Vini non ſolvitur. 193
Salis Tartari Tincturam genuinus parandi modus 88
Sanguinis hirci exhibitio redarguit præſcribentes Aquam Limacum. 77
Sanguis porci malè adhibetur deſtillationi ſimplici. 76
Sericum ſeu Seta nullas continet virtutes cordiales ſed potiùs contrarias. 81, 114
Scilla Armorum genera inficit. 155
Cardialgias & viſcerum inflammationes inducit. Ib.
Scillæ qualitates & natura. Ibid.
Scillarum Trochiſci ſicci vix quidquam de Scilla retinent. 59
Scorpiones oleo infuſi ſpecifica illud virtute imbuunt. 72
Semina frigida majora decoctioni non ſubjicienda. 94
Uſualia & eorum qualitates. 16. uſq. 21
Seminis Papaveris albi doſis. 42
Spodium mera terra mortua. 220
Ineptè deſtillationi ſubjectum. 81
Simplicium plurium uni eidemque decocto deſtinatorum, quodnam prius coquendum. 82
Species Diacurcumæ. 137
Speciei Diacarthami malè additur Species Diatragacanthi. 143. 144
Sperma Ceti ſineſtrè decoctis additur. 95
Spiritus ardentes. 65
Aromaticus oleoſus. Ibid.
Carminativus. 62
Deſtillati ex Vegetabilibus fermentatis non referunt Vegetabilium priorem naturam. 65
Spiritûs vivifici exiſtentia probatur. 71. 72
Styracis calamitæ reſina. 148
Ejus guttis præferenda. 155
Succedanea. 37. 38
Succi acidi non aſcendunt Alembicum. 33. 54
Condenſati uſuales & eorum qualitates. 24. uſq. 27
Succini Tinctura. 89
Succus expreſſus non refert totas qualitates ſui ſimplicis 45. 96. 209

Syrupus Abſynthii. 98
Ad quid inventus. 96
Alkermes deſcriptionis Monſpelienſium 113
Aliæ ejus deſcriptio. 114
Althea non poteſt componi (ſalvis ingredientium viribus) 98
Emeticus Angeli Salæ. 119
Arthemiſiæ. 99
Botriôs. 116. 117
Betonicæ compoſitus. 116
Cichorei. 100
Corticum Citri. Ibid.
Efficacior. 100. 101
Eryſimi. 101
Hyſopi. Ibid
Ejus deſcriptio repugnat Rationi & Experientiæ. 103
Alius genuinus. 103. 104.
De Cichoreo cum Rheo. 108
Florum Camomillæ. 106
Perſicorum. 108
In eo pauciores infuſiones ſufficiunt. 109
De Liqueritia 117
Jujubinus. Ibid.
De Menta. 104
Myrtinus. 105
Ex odoriferis componendi modus generalis. 97
Papaveris albi. 105
Erratici. 106
De Pæonia. Ibid.
De Polipodio. 109
De Portulaca. 118
De quinque Radicibus. 107
De Praſſio. Ibid.
Regis ſolutivus. 111
De Rhamno cathartico. Ibid.
Roſarum ſolutivus. 112

Pro

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0252-2
DFG

Pro eo ſufficiunt pauciores infuſiones. Ibid.
Syrupus de Roſis ſiccis. 107
De Scordio. Ibid.
De Stœchade. 108
De Symphito. Ibid.
Violaceus. Ibid.

T

Tabula calculatoria. 224
Terebinthinæ lotio inſulſa 210
Theriaca Diateſſaron Theriacâ Andromachi præſtantior. 179
Theriaca examinatur. 154. & ſeq.
Conſtat paucis Alexipharmacis. 154
Ineptè ſubjicitur deſtillationi. 57
Inepta ad Morbos malignos & Venena extirpanda. 167
Malè à vetuſtate commendatur. 176
Reformatione maximè indiget. 196. 170
Præſtantiſſima. 177. 178
Theriaca confuſum chaos. 66. 154. 166
Dragma duæ quantum ingredientium conducibilium pro fluxibus alvi recipiant. 167. 168
Quantum ingredientium conducibilium pro Febribus malignis, recipiant. 168
Emendatioris deſcriptio. 171. uſq. 173
Præparatio. 173. uſq. 175
Theriacæ effectus potius Opio, quàm aliis ingredientibus ſunt adſcribendi. 167
Finis ſeu Scopus. 58
Ingredientia inter ſe repugnaut. 154
Specierum uncia una quantúm ſingulorum ingredientium recipiat. 59
Tinctura Croci. 85
Caſtorei. 86
Cinamomi. Ibid.

Lacca

Lacca. Ibid.
Opii, ſeu Laudanum liquidum tartariſatum. 86
Salis Tartari. 87. uſq. 89
In ea unde rubedo. 88
Succini. 89
Trochiſcorum compoſitiones inutiles. 194
Incommoda. 194. 195
Trochiſci Cypheos quo fructu Mitridatio addantur. 152
Hedycroi fruſtra adduntur theriacæ 160
Eorum formæ ingredientibus noxia. 161
Scillitici à theriaca arcendi. 156
Examinantur. 155
Non conſtant ex Scilla, ſed rebus adjectis. 159. 195
Viperini conſtant pro majori parte pane biſcocto 159. 160. 195
Quomodo fiant in Italia. 157. 160
Trochiſcis Viperinis jure merito Vipera exſiccata præferenda. 160

V

V*Apores Carnium coctarum non nutriunt.* 70
Vegetabilia aromatica malè aſſumuntur ad extracta ex iis paranda. 189
Malè aſſumuntur ad Olea cocta paranda. 197
In tres Claſſes diviſa in ordine ad
Deſtillationem. 45. 79
Coctionem. 45. 79. 190
Extractionem. 79. 189. 190
Vegetabilia omnia indiſcriminatim apta non ſunt ad extracta paranda. 189
Odorifera quædam contuſa amittunt priſtinum odorem. 131
Terreſtria retinent virtutem in reſiduo à deſtillatione. 76
Vegetabilium diverſitas. 92. 44. 189. 190

Vinum

Vinum fruſtra vdditur in oleorum coctorum præparatione. 201

Item in Balſamo Lucatelli. 210

Vino Viperino Fœminæ angleicæ utuntur pro coſmetico interno. 72

Vinum Viperinum leproſis prodeſt. Ibid.

Viperæ dum coquuntur pro trochiſcis optimum deponunt in jure. 159

Viperini trochiſci conſtant pene toti pane biſcocto. 159. 160. 195

Quomodo fiant in Italia. 157. 160

Viſcus quercinus Deſtillationi ineptus. 55. 56

Vitriolum non ſubſtituendum Calcitidi. 165

Vitrum Antimonii non corrigitur additione Aromatum 119

Unguentum Altheæ. 207

Apoſtolorum. Ibid.

Martiatum. 208

Neapolitanum. 209

Nervinum. Ibid.

Roſatum. Ibid.

Vonitoriis malè adduntur Aromata. 120

FINIS.

ERRA-

ERRATA NOTABILIORA

Quia cætera æquo Lectori reducenda relinquo, ſic corrigito.

Pag. 35. lin. 2. amorore lege amarore.
35. lin. 32. cadeat lege candeat.
36. lin. 8. narreſque lege nareſque.
36. lin. 9. promtè lege promptè.
37. lin. 2. quanque lege quandoque.
38. lin. ultima uterumque lege utrumque.
58. lin. 31. tranſgrediatur lege tranſgrediar.
58. lin. 11. viginti lege vix viginti.
71. lin. 20. obſtractum lege abſtractum.
92. lin. 3. ano lege anui.
67. lin. 23. ant lege ana.
103. lin. 17. appoſitos lege oppoſitos.
108. lin. 14. mandatarum lege mundatarum.
110. lin. 8. diverſarum adde ſpecierum.
131. lin. 6. admittere lege amittere.
136. lin. 7. diactilorum lege dactilorum.
136. lin. 30. in lege iri.
150. lin. 15. indagaturi lege indagaturis.
166, lin. 32. Medina lege Medicina.
174. lin. 16. minutum lege minutim.
174. lin. 31. ecto lege tecto.
191. lin. 32. diregantur lege digerantur.
200. lin. 34. tes lege dotes.
220. lin. 17. fulcano lege vulcano.
222. lin. 14. orificis lege orificiis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0257-1

DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0258-6

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0259-5
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0260-6

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0261-2

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0262-7

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0264-9

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-134161-p0265-5